# GESTA
# PONTIFICVM
# ROMANORVM,
## A S. PETRO
APOSTOLORVM PRINCIPE,

*VSQVE*

## AD ALEXANDRVM VIII.
P. O. M. CCXLIII.

INCLVSIVE:

Cum historiâ Conciliorum omnium vnà & Hieroglyphicis, Nummismatibus Romanorum Pontificum, Imaginibus, Sigillis ære ad viuum exculptis.

*Cum triplici Indice Pontificum, Pseudo-Pontificum, & Rerum Notabilium.*

AVCTORE


## IO: PALATIO I.V.D.

Collegiatæ S.Mariæ Matris Domini Plebano, & Archipresbytero eiusdem Congregationis, Ducali Canonico, in Veneto Lycæo Iurisprudentiæ, Patauij olim Sacrorum Canonum Publico Professore, ac S.C.M. Historico, Consiliario, &c.


OPERIS
VOLVMEN QVINTVM




VENETIIS. M.DC.LXXXX.

Apud Ioannem Parè sub Signo Fortunæ.

*SVPERIORVM PERMISSV.*


Digitized by Google

# BEATISSIMO PATRI
# ALEXANDRO VIII.
# ROMANO PONTIFICI.



Istoriam defero ( Sanctissime Pontifex ) Ecclesiæ Vniuersæ; cui Te Caput, Pastorem, Principem imposuere concordes in Terris Genus Humanum, in Cœlis Trinitas, interprete Spiritu Sancto. Sacræ Electionis Meritum exposcenti reddit Propheta Samuel: quòd in Purpuratorum Senatu, tot inter Patres Scientiâ, Religione, Morum Sanctitate, Regiminis politiâ fulgidos *Ab humero, & sursum eminebas super omnem populum*. De Domo Marci placuit assumere Successorem Petri; quòd, vt in Actibus Euangelistæ legitur, Illa fuerit refugium Principis Apostolorum. Creationis dies, Octobris sexta D. Magno Sacra, cum Venetus 1. Reg. 9

tus


Digitized by Google

tus Ciuis de Cœlo vota Patrum prenſaret prò ſuo Compatritio. Nec mirum, Annos ſupra ducentos ab illa Sede Venetam abſtinuiſſe Nationem. quia non minus temporis neceſſe erat concipienti, vt OTTHOBONVM pareret; Erat tamen, cum non erat; PETRVS, qui modò Petra: & more naſcentis Eccleſiæ, latebat PETRVS in Domo MARCI. Inde venientem quid ſecum retuliſſe credimus? nil aliud, niſi Euangelium. Hiſce onuſtum ſarcinis Summum Sacerdotem exoptabant Chriſtiani Reges, cuius in capite legeretur: *Pax tibi*
*Act. 12* *Marce Euangeliſta meus*. ALEXANDER cur appellari voluerit Pontifex Venetus? ſciſcitanti reſpondeo: Vt Sacram renouaret memoriam Alexandri III. Venetæ adeò charam Reipublicæ, vt prò eius gloriâ, ac libertate ſemel aduerſùs Ænobarbum, atque iterum, diſcrimen totius Imperij ſubire non formidauerit. Fauſtum ſanè, ac diù fœlix Venetæ Vrbi nomen ALEXANDRI. Si SEPTIMVS in bello Cretico, clauo adſuit, & clauibus; quid non ſperandum ab OCTAVO in bello Euboico, quod eius Proaui circa finem Quinti ſæculi, in priuatà etiam ſubiere Fortunâ? *Nunc ſcio verè* (Petrus ad ſe reuerſus dixit, cum perueniſſet ad Domum Marci) *quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*. Ad coniunctionem Tantorum Sydeorum pauet Barbarorum colluuies, vaſa colligit Iſmaelitarum progenies,
*Pſ. 71.* Regio lectò prognoſtico; *Orietur in diebus eius Iuſtitia, & Abundantia Pacis; donec auferatur Luna*. Abundè memores Turcæ, quòd ſi ANTONIVS OTTHOBONVS Anno Salutis Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Chalcidem ſuà ſeruauit naui, copijs immiſſis auxiliaribus, quæ contrà Mehemetem II. centum, & quadraginta millibus inſtructum militum, priùs vitam depoſuere, quàm vrbem: modò Progenitus, Pater factus Chriſtianorum, in redemptionem Fidei, & Attauorum vindictam (qui Anno Milleſimo Quadringenteſimo Nonageſimo, poſt victoriam, incendio abſumpti in Mari habuere Sepulchrum) Inſulam ſit repetiturus amiſſam.

Benignus interim de Solio excelſo reſpice à me collecta Geſta Pontificum; ſacro quorum ſanguine tinctam aſſumpſiſti muricem eo voto, vt vitam vel in Cruce poneres, cuius ſolo Signo, & Ligno victorias cogitas, & deſignas triumphos. Venetus ad Venetum venio, ad Principem naturà ſubditus; ad Pontificem, & Chriſti Vicarium Fide, & Religione deuotus. Sancti Marci, Veneti Euangeliſtæ cum fuerit Acta enarrare Euangelica; Veneti erit diſcipuli; Petri, & Succeſſorum eius Faſtos colligere, eo regnante Pontifice, qui Annos ſupra quingentos, Ortu, Educatione, Muneribus Publicis, Purpurà tandem veniret de Domo Marci. Legere nè pigeat, Sanctiſſime Pater, quæ ego ex genu ſcripſi venerabundus. Si enim Annos antè triginta cum Cardinalis, & homo eſſes lucubrationibus meis benignè oculos direxiſti; nunc factus Pro-Deus, Prædeceſſorum Tuorum Monimenta comiter admitte, ſimulque Sacris Tuis oblata oſcula Pedibus, quæ libat procumbens

*Mediaſtinus*
Io: Palatius Venetus.

# INNOCENTIUS XI.
## PONTIFEX ROMANVS CCXLII.



IN Davide,qui invocatione Dei Sabbaoth,gigantem proſtravit Goliathē,Innocentium XI.Romanum exhibeo Pōtificem,qui Turcas toti Orbi formidabiles ieiuniis ſtravir,& orationibus. *Eligitur An. Sal. 1676. die 21. Septemb. D. Matthaeo ſacrà. Coronàtur die 4. Octob. in feſto D. Franciſci.*

# E L O G I V M.

Anni Sal. In. 611.1i
SÆculum XVII. *Innocentia* claudet, A
Quæ Domi nata [1] Odeſcalchæ,
*Larii* illuſtrat patrià, moribus *Orbē*, Imperio Romā:
Pauperum hæc refugium, & Sanctorum Aſylū:
Quò Iñago confugiens Deiparę [2] à turbine, & pluvià
Ex *Benedicto* deſignavit Innocentium,
Hoſpitiū rependēs acceptū, Eccleſiæ clavibus.
Ferrariam [3] Legatus frumento vacuam,
*Venit navis de longè portans panem ſuum.*
Epiſcopus[4] Novarienſis,
650.1 Dignitates fugiens nō labores, Romā ſeceſsit [5]
Quatuor mille Ducatorum reſervatà penſione
In uſum pauperum, non familiæ; Anni Sal Iln. 1611.1i
Quibus *S. Galla* [6] reſeraro hoſpirio,
Ad huius Galli cantum factus [7] Petrus
Exivir foras, & flevit amarè,
Principatum ſuper humerum eius.
Pro nepote *Livio Odeſcalcho* [8] primum decretū,
*Vt viveret more privati.*
Chriſti verè Vicarius,
*Cui fratres & ſorores, qui faciunt voluntatē Dei.*
Onerāt alii Rempublicam, ut exonerēt familiā:
Ad levandā Rempublicā gravat iſte familiam.
Sic thronum ſcandunt Pontifices Sancti

Anni Sal. Ill. 1611 Is *Sine patre, sine matre, sine genealogiâ,*
Annos supra duodecim regnat
Nepotismo [9] sepulto:
*Absit, ut post humum resurgat Innocentiâ.*
Domo [10] compositâ Aram formavit ex aulâ,
Honestas [11] nè in navi Ecclesię naufragiũ subiret;
Fœminis mamillas nudare prohibuit.
*Pulchritudo, & decor foret indumentum eis:*
Sic templum adeuntes velatæ
Velo Innocentii castitatem servant pudicam.
Vestales [12] ipsæ ut Tubal, & Iubal
Ad sonum mallei cum canticis, sed sine cantu
Auram pulsant, & aures Dei.
Canunt; sed cum Prophetâ,
*Psalterium iucundum cum citharâ.*
Hoc in colloquio silentium est sempiternum,
Dignitates [13] eum iis designaret,
Qui patrem relinquunt, & matrem;
Ambientibus solùm negavit,
Sic setiò, quià serò providit ad normã Concilii,
*Cuius Deus ipse tenetur stare decreto.*
Remotâ namquè Iustitiâ quid sunt Regna?
*Nisi magna latrocinia.*
*Quid latrocinia? nisi parva regna.*
Si quorũ tutelã suseepit, patronũ [14] nõ habebãt;
Etiam Deus
*Pater dicitur Orphanorum, & iudex viduarum.*
*Magnates [15] audiẽdi sẽper, sed exaudienda Virtus.*
Innocentiæ satis:
*Si sæpè neget, sed cum ratione semper.*
Vicarius illius Regis, qui legem imposuit
*Diligite inimicos vestros;*
Æmulos [16] non semel promovit,
*Haud pœna timore, sed amore virtutis.*
Surgẽs ĩ matutinis ad interficiẽdos peccatores terrę
Neapoli *Boni Pastoris* [17] collectam sustulit.
*Bonus namq. pastor animam ponit prò ovibus suis.*
Torculatia etsi Romæ redũdatẽt ad ebrietatẽ;
Magister sedens Temperantiæ
Mensæ suæ pompam [18] subtraxit;
*Quòd aliter restitui haud posset Mensa Apostolica.*
De solo pane cum homo non vivat
Sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei [19]
Ad Christi doctrinã [19] provocavit senes cũ iunioribus,
*Vt discerẽt secernere discipulos Christi, & Antichristi,*
Æconomus providus, & promocondus
*Cum ratio non constet, nisi uni reddatur;*
Apochas inquirens solus
Vectigalia [20] sustulit, *Vsuras* [21] *Montiũ* æquavit,
Cameram [22] Apostolicam fulcivit labantem
Subducto ære alieno.
Volens mundum curare energumenum
1686. Ieiunium indixit, adversùs Mortem,
Quæ brevi adfuit Aquâ, [23] Turbine, [24] Ferro.

A *Prodigio non minori surgit in iudicium Deus* Anni Sal. Ill. 1611.
*Contrà Hæreticos, & Infideles.*
Annos centum, & quinquaginta,
Non Orbe, sed Cœlo divisi [25] *Britanni*
Regis olim ad exemplum
Ex Angelis *Angli*, ex Anglis nũc Angeli redière:
Palatinatus [26]
Qui magnam videbatur assumpsisse Religionẽ,
Quia nullam respuebat falsitatem,
Electoris morte revixit.
In Alpib. [27] Cottiis *Albingẽsiũ*, *Hussitarũq*; reliquiæ
Novo magistro Calvino tumidæ,
Cũ ex mõtibus vellẽt Cęlũ oppugnare Gigãtes
Fulmine repressæ terrestri
B In Peloponesũ deportatę, ĩ Ortu subierũt Occasũ:
Ex Gallia [28] etiam iussus emigrare Calvinus
Adversâ pompâ, quâ Lucifer de Cœlo descẽdit.
*Traxit iste tertiam Stellarum partem:*
*Millionem ille, & dimidium Animarum reliquit.*
Romę tandem repertus Satan, 1681.
Qui Michaelis specie Cœlum cõcitaret in Deũ,
Fraudeq; novissimâ Mũdũ orationibus falleret.
Detectus non Archangelus, sed Molinos
Molâ suspensâ in collo eius
Coactus est Oratione Dominicâ, & Christiano ieiunio
Orationem [29] purgare energumenam.
Impletum tunc vaticinium Pauli:
*Periculis in falsis fratribus, periculis in civitate,*
C Roma domina Gentium, Princeps Provinciarũ.
Cecidisset sub tributo, ni Innocentia stetisset pro libertate.
Et Iura [30]
Quæ partim Cæsaris, partim Dei
Admisisset, sed usquè ad aras.
Salvâ libertate fontibus semper adversâ.
Salvâ Iustitiâ
*Sine quâ Iupiter ipse nequit in Cœlo consistere.*
Uni intentus Gentilium, & Hæreticorũ exeidio
Diù sacro vaticinio tutus
*Si exurgat adversùm me prælium*
*In hoc ego sperabo*
Viennæ Austriæ [30] incubantibus Turcis,
Ut unà in Urbe expugnarent Orbem,
A quatuor ventis evocatis Aquilis
Odescalchâ, Austriâ, Sarmatâ, Iustinianâ
(*Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ*)
Tremendus auro, ferro pius, utroquè Clemens,
Pugnavit munere, pietate vicit, refulsit gloriâ,
Andromedâ solutâ Austriacâ,
Essedo firmato Cęsareo,
Unico lustro redemit Christo,
Quod Annis ducentis usurpaverat Antichristus.
*Tubarum sono una turbata Hiericon*
*Cecidit coràm Iosue.*
Centum nunc Urbes se eutvavere Iesu.
Ger.

Google

Anni Sal. In. 1611.

Germani, Austrii, Panonnes, Transylvani,
Cosaki, Moldavi, Valachi, Dalmatæ, Croatæ,
Bulgari, Macedones, Albani, Bosnæ, Epirotæ:
Tyrannis suprà cẽtũ igne, ferro, cãtu prostratis
Deum venerantur Fide Latinà,

A Cum Christi Cruce Petri clavibus restitutis.
Adhuc tamen in labore requies
Christianã Rẽpublicã etsi duplo maiorẽ fecerit,
Quàm acceperit, non quiescet:
Donec totum impleat Orbem.

Anni Sal. In. 1611.

## ADNOTATIONES IN INNOCENTIO XI. PONT. ROM. CCXXXXII.

1. B*enedictus Odescalchus* natione *Lombardus*, Patritius *Novocomensis* ex patre *Livio*, matre *Paulà Castellà* Anno nascitur Sal. 1611. cuius Atavi ab illo Heroe *Odescalcho*, qui An. 801. Viennæ in Delphinatu collectis copiis in Caroli M. supperias accurrit Imperatoris. In castris primus occurrit *Odescalchus*, quæ adversùs Longobardos, immunitatẽ propugnabãt Ecclesię Romanę, & Italię libertatẽ. Pietatẽ, Religionẽ Gens ista professa, *Bernardo* promovente *Odescalcho*, Patres Societatis Comũ induxit, & cũ iis vitã penè sociavit. Ex eis, qui Societati dedere nomen, eminet *Antonius Odescalchus à Gregorio XIII.* in Poloniam legatus & Transylvaniam, ut illarum Gentium Principes veritatem doceret Catholicam. Virtus huic familiæ cognata Annos supra octingentos individuam cum eis consuetudinem habuit. Divitiis affluens nunquàm tamen prò libidine vixit, sed prò ratione; in lætà fortunà alios respiciens, præcipuè largitorem supernum, erectis aris, restitutis templis, largitionibus pauperum.

Innocẽtii XI. natalia.

Odescalchorũ amor erga Iesuitas.

Plura hic recurrerẽt Ecclesiasticis inserenda Annalibus digna relatu, pręcipuè illius *Petri Georgii Odescalchi* primũ Alexãdrini postea Viglebanẽsis Episcopi, quę pro futurà Canonizatione præmiserũt in suo Propylæo ad Acta Sanctorũ Mẽsis Maii *Franc. Baertius*, & *Conradus Ianningus*; At gesta prosequens Innocentii, in aliena castra descendere haud permittor nisi transfuga, & explorator.

Hospitium S. Gallæ erectũ à M. Ant. Odescalcho.

Hac itaq. pietate *Benedictus* imbutus avità, humaniora adolevit ad studia sub disciplinà Patrũ Iesuitarũ, Deiparæ semper intentus, eo cultu, atquè observãtià, ut eius preces nunquàm omiserit. Verè nulla dies sinè lineà, nec sinè mercede. Anno namquè 1627. Iconem

Imaginem Deiparæ domi suscipit.

2. *Deipara* cum Novocomenses celebri processionis pompà prosequerentur in triumphum, repẽtè reserato Cœli Cataclysmo, fugientem penè à turbine, & pluvià intrà muros avitæ domus quasi hospitio suscipere meruit Cœli Reginam. Avitum hoc Odescalchæ Gentis, Novocomi domum suam in asylum Ecclesiæ aperire Romanæ. Canonicorũ huius Cathedralis affines pueri, S. Pium V. ibi officia agentẽ Sacrosanctæ Inquisitionis lapidibus obruissẽt in vindictã, quòd Papa Canonicos Romam evocaverat, nisi in ædes *Bernardi Odescalchi* Equitis Comensis confugisset. Anno posteà trigesimo ætatis suæ, Salutis 1637. quamvis peste grassante, Novocomo secedens, nè à religione, & pietate, quam sibi in animo proposuerat, ad vindictam declinare cogeretur contrà nonnullos cives (qui lascivientes eum ad iracundiam iniustè provocaverant) Liguriam venit Mathematicis operam daturus laicus adhuc; Romæ indè, Neapoli (non ut fallax in vulgus rumor invaluit apud Belgas, vel in Tarraconensi provincià Hispana castra sequutus) studia utriusquè Iuris absolvit, ubi modestiæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ famà cognitus ab *Urbano VIII.* Protonotariis adscriptus ex numero Participantium; Cameræ postmodùm præsidens Apostolicę, Picænum obivit Comissarius ad exigendas collectas impositas occasione Belli Latini, eà tamen clementià, ut cacabos, vel similia, quibus satellites ob vectigalium exactionem villicos expoliabant, nunquàm venire passus sub hastà, dietim procrastinando, hac perendinatione monitos vellet, mitiùs agere cum pauperibus, nec eorum excitare clamores. Maceratẽsẽ cum administraret provinciam, sportulas criminales participare semper abhorruit, quòd *pretium sanguinis*. Hac famà

Cur patrià secesserit.

B Romæ restitutus, ab *Innocentio X.* dictus *Clericus Cameræ*, An. 1645. Diaconus Cardinalis S. S. Cosmæ, & Damiani, posteà Presbyter S. Onuphrii

Annonã cœlitùs providet.

3. *Ferrariam* venit Legatus eo tempore, quo caritas frumentaria magnoperè vexabat provinciam. Quantum in eo confideret Pontifex, breve respondet elogium. *Mittimus patrem pauperum.* Priusquàm ergò in provinciam descenderet, servum Dei consuluit *F. Iosephum de Copertino Minorem Conventualem*, Christi verbis ad Philippum, *Undè ememus panes, ut manducent hi?* Respondente autem servo Dei, brevi appulsuras naves frumentarias; spe plenus Providentiæ supernæ, illicò provinciam subiit. Nec longè impleto vaticinio navis appulsu, providit abundè, ærequè suo pauperibus alimẽta largè subministravit.

4. *Episcopus Novariensis* An. 1650. cum pastor venisset, non mercenarius, liberalis pauperibus non

C solùm redditus distribuebat Episcopatus, sed prodigus patrimonium fraternum, quòd cum Christo non esset divisa *hæreditas*. Videri sunt in Cathedrali Novariensi aurei calices, candelabra argentea, pretiosa suppellex ad sacra peragenda, ornatus Templi, picturæ, quibus tholum, chorum exornavit Ecclesię. Omnia absquè nomine, & insignibus ut iactantiam declinaret, & præceptum impleret Evangelicum, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Societatis Collegia præcipuè Novariense detrimentis obnoxium, ærequè alieno gravatum pecunià levavit collatà. Comense in facultatum angustias redactum demenso annuo subsidio restituit. Disciplinam Ecclesiasticam unicà lege servavit exempli: quòd homines ampliùs oculis, quàm auribus credant. Longum iter per præcepta (ait Seneca) breve, &

Eleemosinæ collatæ Novariensi Episcopatui.

Disciplinam restituit.

D efficax per exempla. Christus nullam legem scripto reliquit, exempla dedisse gloriatur. Petrus, Ioannes, & omnis discipulorum turba plus ex moribus Christi traxit, quã ex verbis; cuius schola fuit cõtuberniũ, in quo observarent, an ex formulà suà viveret.

Immunitatẽ propugnat.

Ambitus inimicus tantùm abest, ut dignitates prænsaret, quòd *Iulio Maria* fratri suo, Regulari Benedictino, ac antiquæ severitatis viro, resignato Episcopatu Novariensi Romam

Iulio fratri resignat Episcopatum.

5. *Secessit*, ut ibi inter Sacra Martyrum trophæa, otium quæreret, & munerum vacationem, quæ Sanctis portio fuit Vitæ Beatæ. Felix Novaria, si Pastores semper tibi contingerent Odescalchis non dissi-



Digitized by Google

miles. De *Iulio* hæc habuit doctissimus Mabillonius Benedictinus in libro, cui titulus, *Iter Italicum pag.* 10. *Post meridiem Novariam tendimus, cuius loci Episcopus fuit Benedictus Odescalchus, qui nunc Ecclesiæ Vniversæ sanctissimè præest, successoremquè habuit germanum suum Iulium Mariam Odescalchum ex nostris virum pientissimum, cuius vita, & mors Cælitum albo digna sunt.* Et pag. 7. *De pietate erga S. Maurum, qua in Ecclesia Glaciensis monasterii celebratur, libellum edidit Placidus Puinellus Casinensis quem mox laudato Iulio Maria Odescalcho tunc Priori Parmensi nuncupavit: ubi eum non tantùm ob generis claritatem, sed maximè ob morum probitatem laudat.*

Resignato itaquè Episcopatu *Benedictus*, quatuor millium Coronatorum sibi pensionem reservavit, nec in usum eredas familiæ, sed pauperibus distribuendam illius Diœcesis, cui eleemosinam æqualem adiecit, quasi de suo nil daret, si solam pensionem distribueret; & quia honorem, non onera suæ dignitatis deposuerat.

Romæ restitutus vitam iniens verè Apostolicam, Congregationibus adscriptus, Iustitiam eà religione quæsivit, ut tribunalia veluti altare conscenderet. Altare namq. (aiebat Architas Tarentinus) *& Tribunal ambulāt pari passu.* Pro causà civili commendationes nunquàm legit oblatas, nec suscepit, solitus dicere, *Cæcam esse Iustitiam: quæ non considerat personam pauperis, nec honorat vultū potētis.* Salutationes abhorrens in foro, turbas declinabat ambientiū quod *(Tribunalia erecta crederet non ad decorem personæ, sed personam electā ad custodiam Magistratus.* Tutelam amplexus Collegii Neophitorum, & Collegio adnexæ ędis B. Mariæ in regione Montium Sanctimonialium S. S. Anuntiatæ; Ordinis Fratrum Mendicantium S. Hieronymi Congregationis Fesulanæ sub regulà S. Augustini (hic posteà suppressus est Ordo) reliquum vitæ vel ad aras insumpsit devotus, vel in cœnobiis solitarius, ut ibi disceret, & iustè vivere, & piè mori.

Exercitia pietatis.

Eius dapes, & oblectamenta psalmodia, vel conciones in templis, quas audiēs lachrimarum fluvio prosequebatur ad cęlestia raptus. In rei domesticę administratione eam operam posuit, ac si rem curaret alienam: *A quo enim* (teste Socrate) *Domus optimè gubernatur; ab eo demùm Respublica est fœliciter administranda.*

Familia.

Hinc familiam selegit gravem, modestam, religiosam cuius in oculis nil lucidum, nil concinnum in comis, nil in vestibus ambitiosum, nil in excessu turgidum, nihil in sermone garrulum, nihil in spetie affectatum. Ipsum imitarentur domestici (teste *Fran. à S. Aug. Macedo in sua panegir.*) verè templum virtutibus animatum, vivum sacrarium, divinis ornatum dotibus ad præsidium, & decus Ecclesiæ comparatum. Eminet ille, ac extat,

Species corporis.

aspectu affirmat dignitatem, affirmans celso vertice, & corporis habitu maius quiddam humano repræsentans. Nusquàm melius collocatam videas animam, nusquàm nobiliùs animarum corpus; nec opus est, sicut Aaroni pomis crinitis, & coronatis ad maiestatem significandam, vel tintinnabulis ad famam excerendam. Visu melior, quàm auditu, præsentia superat opinionem, & virtus animi vincit expectationem. Quò quis auctiùs intima penetrat, eò sanctiora comperit. Innata, non arcessita modestia; ingenita, non affectata gravitas; castigata, non fluxa humanitas; compressa, non impensa facilitas; temperata, non asperata maiestas; non insipida morum, sed gratià condita suavitas; addita Religioni reverētia, & benevolentia intra metum, & fiduciam constituta ad homines in officio continendos, apta quidem, & iusta moderatio, una tamen effusa in pauperes liberalitas. Illud mirabile uni animo tot incubuisse virtutes, quæ cum diversitate munerum servent æqualitatem, & cum omnes emineant, nulla exorbitet, sed tanquàm dispares sonitus hinc indè concurrentes, divini cuiusdam concentus efficiant armoniam. His à teneris instructus eam iniit viam, quæ ad fastigium duceret. Quidquid inchoabat ætas, perfectum iri spes affirmabat. Honorum initia culmina portendebant: Magistratus à limine salutabat, & summa oppignorabat. Accipiebant dignitates ornamenta, nō dabant.

Dotes animi.

Nunquàm ei nocuit expectatio, ut magnam esset antè dignitatem, post illam obtentam crescebat, & per gradus ibat opinio; quoquè altiùs ascēdebat, eò illum elatiùs fama vocabat. Vnū ei votum scalam intueri, cui Deus erat innixus. In summà illà congregatione Concilii non unus inter cæteros, sed omnes gerens in uno, atquè integrum repræsentans Concilium, doctrinam Fidei, ac Morum disciplinam, quæ Conciliorum sunt vota, eo ardore gerebat in corde, eloquentia tonabat in ore, ut ex hoc solo Concilio in consilium verso Purpurati Principes Pontificem designarint, ut Ecclesiæ, & Conciliorum caput esset, quæ solius est prærogativa Pontificis. Libertate non minori semper tamen modestà vel in Sacro Collegio, vel in aliis Cōgregationibus nō timuit, exemplo Pauli, quandoquè resistere Petro. Romani proceres sedente *Clemente X.* cū Vespasiani Amphiteatrum in hastiludium designassent,

Negat Capitolium verti in hastiludium.

abhorrens *Odescalchus* Martirum theatrum, & terram adhuc sacro sanguine madidam usu pollui profano, negavit primò libertate plenè Apostolicà, indè ad piè lustrandum locum illum sanctum, exemplo suo populum excitans Romanum, eam religionem induxit, ut plurimi nonnisi solutis calceamentis Colosseū illud ingredi audeant. Sacerdos iste Apocalypsis, cui in ore gladius, quia stellæ in manu. Appensus in staterà, & inventus semper maius habens, quidquid à Petro recepit, restituit non absquè fœnore. Virgines cum ditaret, familias aleret, peregrinos reficeret, publici beneficii occultum voluit benefactorem. Plura recurrerēt Monasteria, Cœnobia, Templa tàm in Vrbe, quàm extrà Vrbem, quæ suo reparavit ære; ni eorum nomina scripta voluisset solummodò in libro Vitæ. Nostros tamen oculos subterfugere haud potest Hospitium

S. Gallæ hospitium.

6. *S. Galla*, cui rector præerat M. *Antonius Odescalchus* sobrinus Benedicti, sacerdos morum sanctitate celebris, quem sibi eleemosinarium delegerat, & promumcondum, in quod recollecti pauperes omni genere iuvantur humanitatis.

Alia Innocentii opera pia, dum esset Cardinalis.

Diaconia S.S. Cosmæ, & Damiani (olim hæc *Innocentii* titulus) eius opere in apside reparata In Xenodochio S. S. Trinitatis, (cuius aliquando fuerat comprotector) ubi iuvenes mendicantes hospitio recipiuntur nocturno, cum plures ob angustiam cogerentur in eodem lecto cubare ob inopiam pulvinarium, charitatem volens castam, atque pudicam, tantum auri clanculum erogavit ad comparanda anaclinteria, ut modò singuli ho-

Digitized by Google

honestè cubent, & commodè.

Cardinalis aurum Poloniæ confert in Turcas.

Sarmatis Turcarum irruptione penè perditis quinquaginta millia Coronatorum contulit, ut reparatis phalangibus bellum refunderent. Regnatura Maiestas etiam in privatâ fortunâ cohiberi non poterat, quin ageret more Pontificis.

7. *Factus Petrus*. Mortuo interim *Clemente X.* die 22. Iulii 1676. Conservatores Vrbis Romanæ effractis carceribus in signū libertatis more vetusto; 120. millia Coronatorum extraxerūt ex arce S. Angeli ad erectionem Conclavis ærario deficiente. Auditis posteà Oratoribus Principum, die 2. Augusti, cellulas ingressi Patres per dies unum, & quinquaginta undecentennis scrutiniis declinavere discordes: donec lumine irradiante superno, per schedulas nemine discrepante, die 21. Septembris D. Matthęo sacrâ, *Benedictum Odescalchum* dixere Pontificē, eodem tempore, quo Sarmata victoriâ cruentâ profligavit Turcas. Præludium hoc futuri triumphi auspice *Innocentio*. Zelotypus Deus auctor huius electionis cognosci, pluribus patere voluit argumentis eam humanæ electioni dissimilem. Si enim hęc arcanis perficitur; votis illa publicis est absoluta. Reges arcana cælant, vel nè hostem excitent; vel nè improba pandant. Deus, cuius voluntati nemo resistit: cuius bonitati nemo reclamat, opera sui volens manifesta, electionem hanc ab initio publicam voluit per vocem populi, qui est organum Dei. Hinc Patres posito ambitu; Principes licèt discordes quamvis armati, passionibus exarmati Hispani convenere cum Gallis, ut *Odescalchus* solâ habitâ ratione meritorum, post varias consultationum procellas, Pontifex eligeretur Romanus, *Columba* ducce, quæ postquam diù libratis plumis in aere suspensa stetisset, devolans in magni Odescalchi caput, & renitenti suaviter ablandita, quem Cœlum, & Terra poscerent, ostendebat. Vnus ille ambiguus hærere, & mœrere, coram Deo provolutus urgere cæpit ex corde, nè huic consentiret electioni. Etiam in præteritis *Clementis IX. & X.* conclavibus, precibus dicitur expugnasse Deum, nè pro eius electione vota prensaret. Vnde *M. Antonius Odescalchus* sobrinus *Innocentii* cum huius vota optimè nosset, certior factus quòd in *Clem.* X. conclavi Patres *Odescalchum* meditarentur Pontificem, mediâ nocte Regulares excitavit S. Observantiæ ad orationem nocturnam, ut everteret Deus electionem Odescalchi. Bis Deus exaudivit rogantem, tertiò audiri ipse voluit, nec ampliùs alienam expectare voluntatem. Nam in pervigilio electionis Cardinales cellulam ingressi *Odescalchi* ut manum oscularentur in signum electionis futuræ, reclamantem tantis oneravere, & penè oppressere argumentis, ut indè Deo contradicere formidaret. Impletum tunc S. Malachiæ vaticinium *Bellua insatiabilis*, quòd *Aquilam*, & *Leonem* animalia ferocissima, & voracissima in stemmate habeat; Et nunquā fatur de Fidei Christianæ triūphis, quasi ieiunus & famelicus semper maiora appetat, & annhelet. Priusquàm tamen electio procederet, nonnulla cēsurâ notavit, quibus ad morum reformationem Purpurati iuramento subscriberent: quę licet sęculo adversa corrupto, & libertati vivendi inimica, nullam in Patribus excitavere discordiam; immo eâdem nocte, plures eorum subscripsere, cæteri die sequenti, quo unanimes dixere Pontificem, tenuentem tamen, & lachrymis insistētem, *respiceret ad meliorē*, nec Ecclesiam perderent viro cōmendantes inutili. Hoc animi fluxu noctem duxit insomnis, quomodò salvâ conscientiâ se subduceret. Mane facto, canonicè repetitis suffragiis, sexaginta tres Cardinales nemine discrepante, in adorationem ruerunt, lachrymis certantes mutuis. *Innocentius* dici voluit, ut gratus memoriam renovaret *Innocentii X.* à quo Cardinalis creatus, & ut nomen imponeret moribus consonum præteritis, atque futuris. Sui enim censor acerrimus nomen assumere voluit, quod cum honore onus recordaretur impositum. Gesta recensendo præteritorum Pontificum, qui dicti *Innocentii* doctrinâ, moribus, politiâ æquarunt vel superarunt antecessores. B Publicante *Barberino* Decano S. C. electionem, & interrogante, an acquiesceret *Odescalchus*? Iste de sellâ surgens accurrit ad aram, ubi pronus in terrâ, altâ voce se imparem tanto oneri fassus, acquiescere declaravit, quià vocationem crederet Spiritus Sancti, cum ipse nullâ arte quæsiisset. Ad nomen *Odescalchi* Roma vocibus plaudens festivis geminavit quod in assumptione Anastasii Imperatoris. *Regnas ut vixisti*. *Beatdictus non fuisses, ni Innocentius futurus esses*. Veneti auditâ electione quatuor designarunt Obedientiæ Legatos. Ad sacra oscula pedum cum venissent Oratores Principum, eam servavit modestiam, & humilitatem, ut erubescere de oblato videretur obsequio. Veneta Respublica non solùm quatuor Senatores primarios Procuratores S. Marci designavit, sed etiā agnatos Pontificis inter Patritios assūpsit. Consecratus do[illegible] aureorum millia in sacrum congiarium *Conclavistis* quinquaginta Scutorum C millia Polonis Catholicis erogavit; teste *Fr. Franc. a S. Augustino, Macedo in panegirico*. Aulæ posteà reformatione susceptâ, primam legem edidit

Papa eligitur Odescalchus

Columba præludit ei Pontificatum

Renuit accipere Pontificatū.

Priusquàm consentiat, plura corrigenda notat.

Innocētius cur dicitus?

Gestit Roma præ lætitiâ.

Innocētii modestia.

Dat Cōgiariū

8. *Prò Livio Odescalcho* nepote ex fratre, *ut viveret more privati*, cum solis bonis patrimonialibus valeat vivere more Principum. Æmulus tamen Pontificis sancti bona credens à Deo sibi collata in pauperum alimoniam, de suo sæpè ærarium ditavit Ecclesiæ. Et hoc novum miraculum, quòd Nepotes Pontificis non solùm abstineant à mensâ Petri, sed Reipublicæ conferant patrimonium privatum. Impetium expercens adversùs seipsum rarâ Principum modestiâ Annis (duodecim longævi Pontificatus, quamvis patruo dilectus, nunquàm visus est tume- D scere, vel lascivire. Muneribus Ecclesiæ vacuus, auro plenus paterno, moribus innocens, vivit adhuc sinè querelâ. Hunc die electionis suæ *Innocentius* ad se evocatum monuit; ut in posterum iis contentus, quæ paternâ hæreditate Deus abundè contulerat; non dignitates prænsaret, nec Principatus ambire. [illegible] Legatis Principum [illegible] Cardinalibus in congratu[illegible]tionem minimè admissis, sub pœnâ indignationis suæ legem expectaret, & adhuc expectat, reiectis Principum affinitatibus, volens Papa, ut si vult nubere, nubat pari. Vt legere est apud ipsos *Acatholicos*.

Legem fert contra Nepotem.

Livii Odescalchi mores.

Respuit Principum affinitates.

Coronato *Innocētio* symbolus est appositus percusso nūmismate (ut n. 1.) *Innocēs manibus, & mūdo corde*, quod tamē Pōtificis modestia respuit, nave substitutâ Apostolorū fluctibus agitatâ cū epigraphe *Salva nos*

Do-

Mala prævidit.

*Domine* n. 2. mala prævidẽs pestilentiæ, quæ Austriã penè totam absumpsit. Belli, quod adversùs Orbem Christianum Turcæ parabant. Innundationis, quæ Romam deformavit. *Alderanum* posteà Cardinalem *Cibo* ministerii primum à secretis assumpsit. Vrbini iste Æmiliæ, & Ferrariæ tribus legationibus clarus (Annonà populum, iustitià forum ità pellexit, ut *Patrem* dixerint redeuntem) Infulà donatus Aesianà post reformatum Clerum disciplinà reparata Ecclesiasticà, Romę restitutus, S.S. Congregationum arcana maiora, eà fide, ac diligentià tractavit, ut eius ministerium parabolà laudaverint Evangelii. *Beatus ille servus, quẽ cum venerit dominus, invenerit vigilãtem.* Aulę præpositus Põtificiæ, Legatus dictus Avenionensis, Protector Minorum Observantium, Trinitariorum, Collegii Germanici, Armenæquè nationis sacellum extruxit magnificum in Ecclesià S. Mariæ *De Populo*, ubi cineres requięscunt Maiorum suorum, qui cum Christi vicarii claves sanctissimè tractarint Ecclesiæ, vel mortui viventibus Ideam non unam exhibent Pontificis Sancti. Hoc exemplo *Innocentius* posteris memorabili, quandoquè à prædecessoribus inchoato, sed nunquàm absoluto

Cardinalis Cibo à secretis assumptus.

9. *Nepotismum* sepelivit, Pontificatum exorsus ab eo in quo alii finierunt. Gratias agenti prò dignitare collatà ad instantiam magni Principis . . . . . . ac tutelam offerenti perpetuam Domus Odescalchæ respondit; *Sibi Domum non esse, nec tectum dignitatem contulisse commendato, ut iustitia satisfaceret, & bona fama.* Dubius, nè post obitum resurgeret Nepotismus, Cardinales excitavit, ut eum Sacramento abiurarent adiecto anathemate; sed opus eum iaceat imperfectum; in magnis voluisse, sat erit. Annus exuberat duodecimus Pontificatus; nec micas gustavit; nepos, quæ cadunt de mens à Domini. Immò decem vel duodecim nummorum millia annuatim contribuere coactus vel in pauperum alimoniam, vel in subsidium Christianorum arma gerentium adversùs Turcas, ære suo dignitatem rependit alienam. An. 1683. Viennam præmente Turcà, cum Papa Cardinales ad suppetias excitasset; nepotem solutione decem millium Coronatorum mulctavit; quasi non eleemosinam, sed debita solveret, vel pœnas subiret. Picturæ, aulęa si aliquando ex testamento amicorum Pontifici obveniant, hæc solet elargiri nepoti onere tamen addito æstimandi rem legatam, & duplum pretii erogandi prò celebrandis sacrificiis in subsidium testatoris.

Nepos coactus ad subsidia in Turcas

10. *Domo compositù* Institutis sanctis, quæ posteris erunt documenta salutis, ad palatinos conversus, propè arã ex aulà formavit; ut nusquàm (teste *Macedo*) sit severior disciplina morum, & exercitatior palæstra virtutis.

Aulam reformat.

In sacris peragendis ut priscum reparet ritum, Canonibus repertis antiquis, expositum habes sub titulo *Speculum sacerdotum*, quo servato Sancti Sancta tractabunt.

Ritum restituit antiquum

Zelo zelatus, nè Domus Dei fiat spelunca latronum; Templi prophanatores etsi natu nobiles, divitiis claros exilio mulctavit, deportavit.

Prophanatores templi coercet.

11. *Honestas* nè ipso periret in templo, renovato prisco S. Lini decreto, inhibuit fœminis nudo pectore, vel expansis mamillis Ecclesiam ingredi.

Fœminis inhibet pectus nudare.

12. *Vestales*, quæ Sponsæ Christi, nè vel auribus, vel oculis lascivirent, sed sponsum solummodo ęternum quærerent, Musicam profiteri inhibuit vel in earum Ecclesiis exerceri. Inter eas si aliqua artem calleret armonicam, reliquas edoceret. Cæterum nullus extraneus ad eas accederet vel spetie disciplinæ.

Monialibus Musicã interdicit.

Vindex Instituti Monastici vitam inter Regulares excitando communem, plures expugnavit ad severiorem observantiam, Dominicanos præcipuè in Lombardià, Thuscià, Venetiis Dominicanos S. Io: & Pauli cucullo deformatos ad modestiam revocavit magno fructu, & plausu. Quamvis enim habitus non faciat Monachum, ex habitu tamen cognoscitur Monachus.

Regulares reformat.

13. *Dignitates.* Vigilantià non minori ergà Clerum epistolà pastorali omnibus mandavit Episcopis, nè ullus initiaretur sacris absq; titulo *Beneficii*, iuxtà normam Tridentini Concilii præmissis exercitiis spiritualibus; Cõgregatione addita, quæ moribus incũberet promovẽdorum ad dignitates, & Episcopatus, quorum electionem quandoquè distulit non sinè murmure, donec cognitum; *viros dignitatibus quærere, non viris dignitates*; laudarunt Principes. Anno 1688. Mense Martio, roganti cuidam Neapolitano . . . . de Episcopatu provideri, negavit Papa ex hoc solo capite promovere, quia postulasset. Hunc æmulatus *M. Antonius Iustinianus* Venetorum Princeps Canonicatum ambientibus respondebat, *Querelas instruerent contrà Innocentium XI. R.P. à quo didicerat dignitates non ambientibus distribuere.* Etiam Benedictus XII. moribus sanctus in electionibus tardus dicebat, *se idoneos quærere, & rarò invenire.* Inventos tandem *Innocentius* pensionibus onerare probibuit, nè eis commodum deesset alendi pauperes; decretoquè prohibuit pensiones transferri in posteros ultrà dimidium, & sinè dispensatione, nè gravi præiudicio bona Ecclesiæ fierent hæreditaria.

Concilium promovet Tridentinũ

Ambientibus beneficia negat.

Laudatur à M. Antonio Iustiniano.

Pensionibus non onerat.

14. *Si quorum tutelam suscepit, patronum non habebant*: merita respiciens non personas, suffragante virtute ignotos etiam promovit. Nomina legente Cardinali *Cibo* ambientium Canonicatum cum literis commendatitiis (cuiquè enim patronus erat Marchio, Princeps, vel Cardinalis) nomen tandem cum recurreret sinè advocato, interrogavit, *Hunc quis comendat? nemo*, respondente Cibo *licet idoneum*, reposuit Papa: *Hunc nos commendamus.* Contra ambientes frequens eius est excusatio; quòd *Deum præ oculis habens respicere non valeat commendationes hominum.* Vel: *Regimen charitas providet, Providentia providet, cuius homo est executor.*

Protegit patronum non habentes.

Adagia Innocẽtii XI.

In Deo sperandum.

*Iudex æquitatem respiciat, discrimina non timeat; ex his enim Deus humana consulit saluti. Quid magis sacrilegum, & horrendum spectari poterat, quàm filius Dei crucifixus? & tamen salus indè generis humani.*

15. *Magnates semper* quidẽ audiendi, *sed non semper exaudiẽdi si à disciplinà defterãt Ecclesiasticà, nè insolescant tumidi, & Hæreticis odiosos faciant Ecclesiasticos. Sciant isti villicationis rationem se Deo reddituros non Principibus.* Cardinalis *Aguirreus* vacuus cum rediret à Consistorio, ubi rogaverat, nec impetraverat, dicebat altà voce, *Verè nil negas sinè ratione.* Nummus consonat n. 3. in quo Iustitia cum epigraphe *de Cœlo prospexit.* Hac præ oculis habità

16. *Æmulos* non semel promovit, ut contigit cum ne-

Promovet æmulos.

Digitized by Google

nepote Cardinalis Imperialis, quem suæ electioni passus adversum, Thesaurarium creavit S.R.E.(gradus hic ad purpuram proximus)amicis præferens,& provectioribus, amicam volens semper habere virtutem. Sic *Galliam* (cuius familia æmula tunc, Odescalchæ gentis) licèt eum semel alloqutus in gratiam Cathecumenorum, quorum gerebat tutelam, minus etiam propitium habuisset, virtute cognitâ Cardinalem creavit, quòd *dignitates bonum sint alienam,& merces virtutis.* Eos insequens, qui dignitatem fugiunt, *Gargensem* Episcopum, qui Cæsareæ postulationi renuntiaverat,promovit; ex eremo Camalduleníium,& ex Carthusia evocatos consecravit Antistites. Slusium,Taiam,Ricciũm,Aguirreum, Colloredum, alios, Cardinales creavit, quibus patrona virtus, nec ab eis aliud sperare fas erat, quàm servire Deo, *cui* (adagium hoc Innocentii) *servire nullo compendii respectu, regnare est.*

*Reluctantes. quærit.*

*Providentia superna eum sæpè malis utatur hominibus ad puniendos peiores, pœnam in eos non præterit, sed differt, quibus nunc utitur tanquàm lictoribus ad castigandum.*

*Adagiũ de Iustitiâ Dei.*

*Potius mori, quàm fædari, & ab æquitate recedere.* De ejus justitiâ securi Principes dicere solent (inter quos Orator Sabaudus, & Lusitanus) *Opus non esse ad iustitiam excitare Pontificem, sed Actores.* Securus (Lusitani sunt verba) *quòd Papa iure contentus Ecclesiæ, Regalia non usurpat; sinè trepidatione coram ipso persequor iura mea.* Commodo intentus populorum, Neapoli cum inolevisset abusus exigendi pecuniam sub titulo

*Aliud.*

17. *Boni Pastoris*, undè Archiepiscopo cederent magni proventus; vacante autem Archiepiscopatu, Cameræ Apostolicæ: abusum publico antiquavit decreto, *Bonus namquè Pastor dat animam suam prò ovibus suis.* Abusus porrò nè resurgeret,Archiepiscopatum absquè pensione *Pignatello* contulit Cardinali.

*Collectam Boni Pastoris prohibet.*

Forum etiam, Cancellariam regulis (quas vocant *Innocentianas*) alligavit; nè sportulas Curialium avaritia decernat, sed compensatio laboris. Liberam facultatem dispensandi Ordinandos ab ætate immaturâ, vel Interstitiis, æquitate mitigavit servanda.

*Cancellariam reformat.*

18. *Mensæ suæ pompam subtraxit*, Cupiens vivere non more Principis, sed modestiâ Sacerdotis, mensam frugalem voluit, ut parsimoniâ suâ S. præteritorum Pontificum renovaret exemplum. Vnè animarum intentus saluti,

19. *Doctrinam Christianam* edixit iuvenes edoceri, quâ neglectâ Clerici non promoventur ad Ordines, Virgines dotem amittunt. Hinc in omnibus Romæ paræciis cum videre sit Cardinales, Episcopos parvulis ministrare; Hæretici insultare non valent, *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Infirmi si per triduum moniti sacramenta non suscipiant,à medicis deseruntur. Post animas curavit corpora, horreis in summâ temporũ calamitate repletis, cumulatâ annonâ frugalis ipse, eâ abundantia panis, & pacis, ut in Venetæ classis alimoniam decem mille choros tritici unà vice transmiserit.

*Doctrinam Christianam vult edoceri fideles*

*Infirmos curat.*

*Annonâ*

20. *Vectigalia* cum populis auferre non permitteret ut antiqua ob debita Cameræ Apostolicæ, ingemuit; ope tamen fretus supernâ, multis nummorum millibus exsolutis, exoneravit ab impositionibus *militum de Leva: à vectigali carnium*; aliisquè gravaminibus, quibus urbes tenebantur, & oppida: Vsuras etiam Hebræorum,quas sedente *Clemente IX.* mitigari curaverat, dictus Papa magis,ac magis repressit aperto *Monte Pietatis*, undè pauperes subsidia colligant in necessitatibus suis.

*Vectigalia tollit.*

*Usuras Hebræorum comprimit.*

21. *Vsuras Montiũ.* Montes proximè collapsutos,excogitatâ arduâ, sed perutili reformatione adiuvit,instauravit,asseruit,ut creditores nunc pensionẽ exigant opportunam. Ad Census extinguendos exhaustis Vrbium, atquè oppidorum æratiis, pari munificentiâ pecuniam subministravit.

*Montes reformat.*

22. *Camera Apostolica*, quæ nouo semper onere addito annuatim obstringebatur suprà decẽta millia aureorum æris alieni, nunc Innocentii œconomiâ immunis triumphat, & libera. Mirabantur, & quasi irridebant Pontificem ad manus calamo rationes subtiliter recognoscentẽ sumptuarias, normas,& regulas expedientẽ Datariç,sinus introspicientẽ Cameræ Apostolicæ,libellos supplices diligẽter examinãtẽ;vidẽntes nunc ex domesticâ disciplinâ totius pendere gubernationẽ Ecclesiç,& onera bellica adversùs Turcas,& Hereticos;severaq. Apostolicç Domus reformatione Orbem admoneri reformationis suæ, mussitare non audent.

*Camerã Apostolicam.*

23. *Aquâ.* Flagellum cum videret in manu Domini;Concionatoribus mãdavit totius Orbis Terrarũ, ut relictis fabulis Christum prędicando Crucifixum, Populum Romanum altâ voce, ex suggestu ad pœnitentiam excitarẽt,apertè ei denunciando,Mortem instare præ foribus. Nummisma habes num. 4. in quo Petrus, & Paulus, cum invocatione, *Audite voces supplicum.* Nec longè: exuberante Tyberi 6. Novemb. An. 1686.ostendit Deus eam fuisse Mũdi impuritatem,ut nonnisi innũdatione purgari posset. Natavit civitas in civitate, & colles nutavere Romani. Aqua nè sola sæviret; Orbem fatigavit fames,& pestilentia, donec precibus Innocentii placatus Deus, permisit Vicario suo annonâ accurrere, & auro, eâ pietate ut Romam servaverit etiam natantem. Flagellum fuit, cum Anno 1688. die 5. Iunii

*Mandat concionatoribus desserere fabulas.*

24. *Turbine*, Motu terræ, concussis ferè omnibus Æmiliæ urbibus,deformatâ Neapoli, Beneventũ penè in cinerẽ abiit Civium strage miserabili, Archiep. Vincentio Mariâ Cardinali Vrsino miraculosè servato sub tutelâ S. Philippi Nerii, quem cum imaginibus Sancti intercessoris, è cæmentis vivum extraxere sepultum. Roma ipsa destinata flagellis,intercedente *Innocentio XI.* servata est, ità revelante pia . . . . . . . . moniale S. Theresiæ in cœnobio S. Luciæ. Reliquas civitates, quas preservare non valuit,restituit piè, datis centum, & quinquaginta millibus Coronatorum in subsidium distribuendis; onera indè omnia Flaminiæ remissa ad decennium, munificentiâ maiore, quàm Tiberius qui ea indulsit tãtùm ad quinquennium. Mœnium tandem aggressus reparationem Beneventi,onus subiit gravissimum. Tantã pietatem nummisma laudat,n. 5. in quo Mattona lactans pueros sub epigraphe, *Non quærit quæ sua sunt.*

*Motus Terræ*

25. *Britanni* Evangelio promulgando inter Gentes, vel inter Hæreticos restituendo quantum contulerit?testes accedant toto ab Orbe,veriùs Cœlo divisi Britanni, ad quos missis Religiosis doctrinâ cons-

*Britannia ad Petrum redit.*

Digitized by Google

conspicuis, obtinuit tandem, ut centum, & triginta ferè post Annos *Carolus II.* in sinu matris expiraret Ecclesiæ Romanæ; eiusque successor *Iacobus* Magnæ Britanniæ Rex invictissimus, Religionem Romanam Catholicam, quam palàm professus erat regnante *Carolo II.* fratre suo, nunc legibus, & ritibus restitutis antiquis non solùm confirmaret, sed subditos revocaret errantes, lege editâ die 14. Aprilis An. 1687. ut nemini vis inferretur ad credendum; Religio libera esset, edicto sublato tyrannæ *Elizabethæ*, quo usquè in hodiernam diem tenebantur omnes Religionem eiurare Romanam. Legatus posteà Ferdinandus de Abdua nunc Archiep. Amasiensis veluti triumphator Vindecorii susceptus, cōvĕtus est primò domi suæ à Duce *Graftonio* defuncti Regis filio (quāvis mos Britanniæ per Comites Legatis occurrere) & Maris proarchithalasso. Hunc Rex substituerat Duci *Somerzebio*, vel *Somersetto* professione Lutheramo, qui cū Nuntio occurrere recusasset, muneribus publicis expoliatus iacebat. Mandaverat Rex Nuntiū interrogari, quibus officiis coli desideraret; ut omnibus palàm fieret Regis obsequiū ergà Sedē Apostolicam, ac veræ Religionis ministros: respondente Nuntio, *Disponeret Clementia Regis*: prima Iulii post prandium, Dux in curru Regio petiit Domum Legati, qui currum ascendens occupavit latus dexterum, Duce stipante sinistrum; magister cæremoniarum in loco sedit novissimo. Legati currus pergebat vacuus: secundum, & tertium eiusdem Legati conscenderunt Ecclesiastici veste induti talari. Sequebantur currus octo suprà viginti (inter quos duo missi ab Episcopis Protestantibus) cum aulicis, & palatinis, tantâ frequētia populi, ut semitæ viderentur angustæ. Venienti Legato occurrerunt in portis palatii duo palatini, in gradibus Præfectus Prætorii, in Procætonibus alii Officiales, in Aulâ S.Georgii sedebant in throno Rex, & Regina. Inclinanti Legato Rex primò aperuit caput, secundò, & tertiò surrexit (Aliis Oratoribus Principum non assurgit, semel tantum caput aperit) Tractoriis exhibitis respōdit Rex plenus gaudio: *Hoc nobis fælix accedit ad gloriā, ut Christi Vicarius Innocentius XI. Pontifex Romanus nos Iacobum Britanniæ Regem, Ecclesiæ filium habeat, & habiturus sit obsequentem etiam cum regni, ac vitæ discrimine. Charismata Patris verè Innocentii ut æmulari possimus, promittimus non aliud quærere, quàm Dei gloriam, & veræ Religionis incrementum; Hoc nos Christiani Regis asserimus primum officium. Pro legatione, ac Legati personâ nobis gratissimâ gratias agimus, quòd tanto Religionis decore provinciam sibi conciliaverit. Omnia propterea speret secunda, & à nobis studia omnia. Regis namq. ad exemplum Britannia composita obsequium solvet Summi Sacerdotis Legato debitū.*

*Regis responsum.*

Domui eàdem pompâ restitutus officiis certavit cum Primo Ministro, cæterisquè Palatinis, qui lautitiis magnificè suscepti quamvis Lutherani, omni tamen veneratione Pontifici propinarunt.

*Seditio Londini contra Græcū Episcopum.*

Die sequenti Londinum venit ad salutandam Reginam viduam, nimiâ quidem frequentiâ populi, pacificè tamen, & honorificè, quamvis Græcus Episcopus, qui fortè in Insulam appulerat, staturâ longus, linguâ audax, moribus incivilis, turbæ immixtus seditionem concitasset, ruentibus pueris, & exprobrantibus *Ecce Satan*, *Simia Papæ*, in domum confugiens Legati suadebat subsistere, nec populo se exponere furenti, quia nonnisi cædem spiraret. Legatus tamen cum esset in procinctu plenus fide, atquè constantiâ sedens in curru Reginæ, populo exiit plaudente, *Io: Io*: Ab hac die datum Catholicis liberum Religionis exercitium, reseratis, reconciliatisquè pluribus Ecclesiis, cœnobiis Carmelitarum Excalceatorum, qui in habitu Regulari, & Clericali publicè ministerium profitentur Apostolicum; accitis etiam Patribus Congregationis Missionis, qui in Regio sacello sacerdotibus instruendis, atquè ecclesiasticis functionibus devotè, ac omni cùm maiestate obeundis solerter præessent. Rependit misericors Deus Regis pietatem, datâ masculâ prole die 20. Iunii 1688. totius Reipublicæ Christianæ gaudio, nè regna ditissima novâ iterum deformarentur hæresi post Regis obitum. Episcopi, & Pastores Protestantes cum ex suggestu ad tutelam erroris blaterarent in Regem, nè aditus aperiretur Religioni Catholicæ; iniuriam dissimulavit, donec nato filio plures eorum carceri mancipavit. Romæ Pontifex Purpuratis ortum novi Regis significans præ lætitiâ ter lachrymis intercepit orationem, Genitorem Regē gravi exornavit Elogio, *Iosiam* dicens, *qui directus à Domino in pœnitentiā Gentium, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Ecclesiast.* 49. Patres cum excitasset in laudem Altissimi, pauperibus tria millia nummorum distribui mādavit.

*Nativitas Regis Britanni.*

26. *Palatinatus* ob mortem Caroli Electoris Palatini professione Lutherani deficiente masculâ prole, *Philippo Gulielmo* devolutus *Neuburgensi*, Deo adiuvante, Religionem suscepit Romanam.

*Palatinatus Ecclesiæ reconciliatur Romanæ*

Huc faciunt nummismata tria, quorum primum Ecclesiā exhibet cum epigraphe, *Una super unum*. Secundū in quo Fides cū Cruce, & flammâ sub lemmate, *Dominum formidabunt adversarii eius*. Tertium, in quo Petrus cum Evangelio, & Clavibus Ecclesiæ sub epigraphe, *Non deficiet fides tua*.

Famâ *Innocentii* excitati Schismatici Orientales *Volas* vel *Blasius* Archiep. Samacensis ad Mare Caspium obedientiam professus Sedi Romanæ 20. Aprilis 1682. operarios mitti rogavit ad instructionem Christianorum, *qui sub Turcarum Dominio iacent tanquàm ranæ in ore serpentum*.

*Schismatici errores abiurāt.*

Machdrinus Episcopus Samautrēsis *prædicatores trāsmitti, et doctores ad docendos rudes, & ignaros Armenos verum, et sinceram Catholicæ, et Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ fidem, quam cupiunt, et volunt profiteri abiurato schismate, et erroribus Armenorum. Datum in Civitate Samautri. An. Sal.* 1683.

*Infirmus et Humilis Vr. filius Machdrinus Ep. ac Locum tenens Prot. D. Stephani.*

Euthimius Archiep. Tyri *abiuratis Græcorum erroribus Sacrosanctam, & Catholicam Fidem profitetur* Romanam, *promittens fidelitatem, obsequium, & obedientiam Summo Pontifici Innocentio XI. eiusquè successoribus canonicè electis, Sedem confitetur Apostolicam, Romanum Pontificem gaudere primatu in universo Mundo, Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, Christi Vicarium, Caput Ecclesiæ, patrem, et magistrum Christianorum, cui medio Petro data est potestas regendi, pascendi, docendi Ecclesiā Universalem, propterea rogat Pontificem, ut eum in suâ confirmet Ecclesiâ, & Apostolicā indulgeat benedictionem. Dat.* 20. *Decemb.* 1683.

Ignatius Patriarca Antiochenus *die* 23. *Aprilis An.* 1683. *declarat, & profitetur se subditum, & obedientem*

eum

Digitized by Google

*cum subscriptione. Ignatius Patriarcha Antiochenus veluti Petrus miserabilis.* A

*Ioseph Patriarcha Chaldæorum profitetur Fidem Catholicam Romanam, obedientiam solvens Innocentio XI. cum subscriptione. Dei Omnipotentis gratiâ pauper Ioseph Patriarcha Chaldæorum.*

Prædicatores ad Gentes. Institutâ Congregatione Gallorum Sacerdotum, plures misit ad Mundi confinia, ut remotissimos Regnorum *Sciam*, & *Tunchini* habitatores excitent ad Fidem Christi. Indos ut servaret in gremio matris Ecclesiæ *B. Thuribium* Mongroveum Archiep. Limensem retulit inter Beatos.

Heretici domiti. 27. *Ex Alpibus Cottiis*, quæ Delphinatum à Pedemontio separant, irrumpentes iterum Albingensium, & Hussitarum reliquiæ, quæ toties victæ, sed non vinctæ, novâ doctrinâ Calvini tumidæ adhuc move- B bant lacertos non sinè discrimine Ducis Sabaudi, initâ pugnâ, & strage victæ cruentâ, in Orientem secesserunt ad bellum Peloponesiacum, quod Veneti gerebant in Turcas, eâ sorte, quæ viris contingit, qui castra sequuntur.

Rhetiæ accolis cum novos delegaret Apostolos Patres Societatis Iesu, instructionem scripto datam verbis absolvit Evangelicis, *Mitto vos in vineam dilectam*: datis tutoribus Nuotiis Apostolicis apud Regem Catholicum eiusquè Oratores, quos gravi excitabat elogio; *Satis ei si ambularent in semitis patrum suorum*. Batavos quoque iuvit missis operariis, qui sanâ doctrina, ac pietate oves revocarent errantes. Hæreticis omnibus pœnitentibus hospitium aperuit, quod auro ditavit in refectionem corporum, C & Indulgentiis prò animarum salute.

Gallus deportat Hugonotos. 28. *Ex Gallia* etiam, Ludovicus 14. aulâ primùm deportatis Hugonotis, indè bonis spoliatos, pœnâ tandem corporali ad Religionē constringens avitam, Animarum supra millionem, & dimidium restituit Creatori suo, regno pacem, sibi fidelitatem. Quis enim fidelis Regi, si infidelis est Deo? *Omne regnum in se divisum desolabitur, & Domus supra Domum cadet.* Durus visus hic sermo Heterodoxis, quasi gladio mens cogeretur humana ad credendum, cum tamen sine baculo, & sacculo Christus voluerit prædicari Evangelium. Gallus autem sacculo, quem bonis repleret damnatorum; baculo, quem spetie religionis cruentaret sanguine innocentium. Zelus tamen facilè agnoscitur Regis Christianissimi, si ad parentes, & proge- D nitores respicias proscriptorum, qui nullâ causâ deficientes à veritate Ortodoxâ, spetie pietatis arma tulerunt adversùs Legem, & Regem. Quæ iniuria? si ad Religionē retrahantur, quam iurarunt in fide parentū, ut Regnum Religioni restituatur, nec permittantur hæreses serpere ubi non erant? Honestum decretum, in eodem solo mori, & nasci more Romano. Non aliter enim nasci possumus sub Rege Christianissimo.

Galli Monarchæ zelum pro unitate Religionis Orthodoxæ, quàm sanctum pluribus S. S. Patrum testimoniis nos comprobamus in nostris ad Decretales lucubrationibus, ex quibus unam decerpere liceat Augustini auctoritatem *ep. 50. ad Bonifacium*, quę refertur *c. 1. schismatici caus.* 23. *q.* 6. epistolæ sequens est titulus.

*Augustinus Bonifacio viro militari de Cæsaris comitatu, commonstrans illi Donatistarum hæresim nil habere commune cum Arriana; & quâ moderatione per metum legum Imperialium heretici possunt ad Ecclesiæ societatem reduci, &c.*

Modū correctionis ex verbis *Augustini* attēde: „Imperatores quādò prò falsitate cōtrà veritatem cōstituunt malas leges, probātur benè credentes, & coronātur perseverātes. Quandò autē prò veritate cōtrà falsitatē cōstituunt bonas leges, terrentur sævientes, „& corriguntur intelligentes. Quicumquè ergò legibus Imperatorum, quæ contrà veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicuoquè autem legibus Imperatorum, „quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non „vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum, omnes Reges qui in populo Dei „non prohibuerunt, nec everterunt quæ contrà Dei „præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonosor, cum servus esset „Idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulacrum adoraretur: sed eius impiæ constitutioni qui „obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idem „tamen Rex, divino correctus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate constituit, ut quicunquè diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, „Misac, & Abdenago, cum domo suâ penitùs interiret. Haoc legem si qui contempserunt, & id quod „fuerat constitutum meritò perpessi sunt, debuerunt „dicere, quod isti dicunt, se iustos esse, quià ex lege „Regis persequutionem patiebantur: quod utiquè „dicerent si ita insanirent sicuti isti insaniunt, qui „Christi, & de persequutione gloriantur, quià prohibentur ista facere legibus Imperatorum, quas constituerunt pro unitate Christi, & iactant fallaciter „innocentiam suam, & quam non possunt à Domino „accipere, ab hominibus quærunt martyrum gloriā.

*Et infra.*

„Quod enim dicunt qui contrà suas impietates „leges iustas constitui nolunt, non petisse à Regibus „terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse „tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis „enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui „ei pro pietate contrà impietatem leges ferendo serviret, quandò adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati „sunt inania: Astiterunt Reges terræ, & Principes „convenerunt in unum adversùs dominū, & adversùs „Christū eius. Nondum autem agebatur, quod paulò „post in eodem psalmo dicitur: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā: Servite Domino „in timore, & exultate ei cū tremore. Quomodò ergò „Reges domino serviunt in timore, nisi ea quę contrà „iussa domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo „atquè plectendo? Aliter enim servit quia homo est, „aliter quia etiam & Rex est. Quià homo est, ei servivit vivēdo fideliter: quià verò etiam Rex est, servit „leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, „convenienti vigore sanciendo: Sicut servivit Ezechias, lucos, & templa Idolorum, & illa excelsa quæ „contrà præcepta Dei fuerant constructa destruendo. „Sicut servivit Iosias, & talia ipse faciendo. Si„cut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem „ad placandum dominum compellendo. Sicut servivit Darius, Idolum frangendum in potestatem Da-

„nieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. A
„Sicut servivit Nabuchodonosor, de quo iam dixi-
„mus, omnes in regno suo positos à blasphemando
„Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt
„domino Reges, in quantum sunt Reges, cũ ea faciũt
„ad serviendum illi, quæ nõ possunt facere nisi Reges.
„Cũ itaq; nõdũ Reges Domino servirent temporibus
„Apostolorũ, sed adhuc meditarẽtur inania, adversùs
„eũ, & adversùs Christũ eius, ut Prophetarũ prædicta
„omnia cõplerẽtur, nõ utiq; tunc possent impietates
„legibus prohiberi, sed potiùs exerceri. Sic enim
„ordo temporum volvebatur ut & Iudęi occiderent
„prædicatores Christi, putantes se officium Deo face-
„re, sicut prædixerat Christus: & gentes fremerent
„adversùs Christianos, & omnis potentia martyrum
„vinceret. Posteà verò quàm cœpit impleri quod
„scriptum est: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, B
„omnes gẽtes servięt illi. Quis mẽte sobrius Regibus
„dicat: Nolite curare in regno vestro à quo tueatur
„vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos
„pertineat in regno vestro, quis velit esse sivè reli-
„giosus sivè sacrilegus, quibus dici non potest, non
„ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus
„esse, quis impudicus? Cur enim cùm datum sit di-
„vinitus homini liberum arbitrium, adulteria legi-
„bus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem
„non servare levius est animam Deo, quàm fęminam
„viro? Aut si ea, quæ non contemptu, sed ignorantià
„religionis committuntur, mitiùs vindicanda, nun-
„quid ideò negligenda sunt? Melius est quidem, quis
„dubitaverit ad Deum colendum doctrinà homines
„duci, quã pœnę timore vel dolore compelli? Sed nõ
„quià isti meliores sunt, ideò illi, qui tales non sunt,
„Multis enim profuit, quod experimẽtis probavimus, C
„prius timore, vel dolore cogi, ut posteа possint do-
„ceri, aut quod jam verbis didicerant opere sectari.

*Et infra;*

„Vbi est, quòd isti clamare consueverunt, liberum
„est credere, vel non credere. Cui vim Christus in-
„tulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolũ:
„agnoscant in eo prius cogentem Christum, & po-
„steà docentem: priùs ferientem, & posteà consolan-
„tem. Mirum est autem quomodò ille, qui pœna cor-
„poris ad Evangelium coactus intravit, plus illis
„omnibus, qui solo verbo vocati sunt in Evangelio
„laboravit: Et quem maior timor compulit ad cha-
„ritatem, eius perfecta charitas foràs misit timorem.
„Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, ut
„redirent, si perditi filii coegerunt alios ut perirent?
„Quàvis etiam illos quos non coegerunt, sed tantum-
„modò seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges D
„in eius gremio revocentur, blandiùs pia mater am-
„plectitur, & de illis multo ampliùs quàm de iis
„quos nunquàm perdiderat gratulatur. An non per-
„tinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oves,
„quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterquè
„seductæ, à grege aberraverint, & ab alienis cœperint
„possideri, inventas ad ovile dominicum, si resistere
„voluerint, flagellorum terroribus vel etiam dolori-
„bus revocare.

*Et infra.*

„Imitatur itaquè Ecclesia in istis cogendis domi-
„num suum, quæ priùs ut neminem cogeret expec-
„tavit, ut de fide Regum, atquè gentium prædicatio
„prophetica compleretur. Etiam hinc enim non ab-
„surdè intelligitur illa Apostolica sententia, ubi Pau-
„lus beatus dicit: Parati ulcisci omnem inobedien-
„tiam vestram cum completa fuerit prior obedien-
„tia vestra. Vndè, & ipse Dominus ad magnam cœ-
„nam suam priùs adduci iubet convivas, posteà cogi.
„Nam cum ei servi sui respondissẽt. Domine factum
„est quod iussisti, & adhuc est locus: Exite, inquit,
„in vias, & sepes, & quoscumq. inveneritis cogite in-
„trare. In illis ergo qui leniter, primò adducti sunt
„completa est prior obedientia: In istis autem qui
„coguntur, inobedientia coercetur.

29. *Orationem.* Error antiquus, noviterquè damna- *Oratio*
tus nobis occurrit, *Falsæ Quietis Oratio.* In Hispanià *falsæ*
nata spetie colẽdi Deum, ut est; prophanat, viatoribus *Quietis*
tribuens, quod est Beatorum. Eius exordium
summè bonum, gradatim declinat in malum, tan-
dem tumescit in pessimum. Malorum omnium causa
superbia, quæ ut peccare possit impunè; iudicem non
admittens, iactat: *Doctrinam suam ab ignavis iudicari*
*non posse, quià eam non intelligant: à Doctis, quòd non*
*agnoscant.*

Sequaces habuit bonos, & malos. Isti spetie con-
templationis, libidinosi non devoti, Venerei, non
contemplativi quæsierunt filium Veneris prò filio
Virginis. Illi nimis solliciti credentes animam in
carne passibili, atquè mortali debere semper in Con-
templatione persistere, ad quam si semel ascenderint,
curarent minimè ad Meditationem redire, plures su-
bierunt errores, Intellectus tamen, non voluntatis
quos propterea humiles censuræ submiserunt Eccle-
siæ, eorumquè libri censurà notati à S. Congregatio-
ne Cardinalium Inquisitorum ex mandato S. D. N.
*Innocentii XI.*

Eorum autem, qui abutendo Oratione mentali ad
Opera carnis, nova dogmata tum verbo, tum scripto
docuerunt, & in praxim deduxerunt, ac prætextu Ora
tionis *Quietis* contrà doctrinam, & usum S. Patrum
ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fi-
deles à verà Religione, & à Christianæ pietatis purita-
te in maximos errores, & turpissima quæquè induxe-
runt, fuit quidam *Michael de Molinos*; cujus insana
doctrina, hæretica, scandalosa, erronea, blasphema;
vitaquè impura, libidinosa, sacrilega, infamis, ex se-
quentibus 68. propositionibus die 28. Augusti 1687.
damnatis per Innocentium XI. R. P. ex assistentium
Cardinalium consilio patebit, confessione accedente
voluntarià ejusdem *Molinos* rei convicti, & quamvis
pœnitentis ad carceres pro salutari pœnitentià dam-
nati.

PROPOSITIONES.

1 *Oportet Hominem suas potentias annihilare, Et hæc est Via interna.*

2 *Velle operari activè, est Deum offendere, qui vult esse ipse solùm Agens: & ideò opus est, se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & posteà permanere velut Corpus exanime.*

3. *Vota de aliquo faciẽdo sunt perfectionis impeditiva.*

4. *Activitas naturalis est Gratiæ inimica, impeditq; Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in Nobis sinè Nobis.*

5. *Nihil operando Anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua trãsformata remanet, ac divinizata, & Deus tùc in se ipso remanet; quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ,*

*sed*

Digitized by Google

*sed una tantùm: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima se ipsam annihilat in esse operativo.*

6. *Via Interna est illa, in quà non cognoscitur nec lumen, nec Amor; nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere: & hoc modo rectè proceditur.*

7. *Non debet Anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Æternitate.*

8. *Non debet velle scire; an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eàdem voluntate resignata maneat, nec nè; nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut Corpus exanime manere.*

9. *Non debet Anima reminisci sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, & in Viâ Internâ omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.*

10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodò non adsit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.*

11. *Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur, nec nè, non opus est reflectere.*

12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullà re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.*

13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostrâ, & relinquere, ut faciat in nobis sinè nobis suā Divinā voluntatē.*

14 *Qui Divina voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quòd divina voluntas nostræ conformetur, & non quòd nostra Divinæ. Et illud Evangelii:* Petite, & accipietis, *non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem: Imò hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.*

15 *Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent; quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

16 *Non convenit Indulgentias quærere pro pœnà propriis peccatis debitâ; quia melius est Divinæ Justitiæ satisfacere, quàm Divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.*

17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione Animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ; & si natura commovetur oportet sinere, ut commoveatur; quia est natura.*

18. *Qui in Oratione utitur Imaginibus, Figuris, speciebus, & propriis conceptibus: non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut Intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

20. *Asserere, quòd in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus Animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquàm loquitur cujus locutio est operatio; & semper in Animâ operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eam non impedit.*

21. *In Oratione opus est manere in fide obscurâ, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentiâ manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

22. *Cognitio hæc per fidem non est actus à Creaturâ productus, sed est cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postcà cognoscit illam se habuisse; & idem dicitur de Amore.*

23. *Mystici cum S. Bernardo in scalâ Claustralium, distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquàm ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquàm ad tertiam pervenit, quæ est nostra contemplatio acquisita, in quà per totam vitam persistendum est, dummodò Deus Animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam, & hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod ampliùs redeat ad secundum, aut primum.*

24. *Qualescumq. cogitationes in Oratione occurrant, etiā impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramēta si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, sed cum indifferentià, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei; imò eam perfectiorem efficiunt: quia Anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.*

25. *Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit Oratio, & contemplatio actualis; quia Oratio, & resignatio, resignatio, & Oratio idem sunt; & dum resignatio perdurat, perdurat & Oratio.*

26. *Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mysticà; cum non sit nisi unica via, scilicet via Interna.*

27. *Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum, & malè agit, cum eam desideret, & eam habere conatur; qui per viā Internam incedit tàm in locis Sacris, quàm in diebus solemnibus.*

28. *Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.*

29. *Dum Anima Interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsà sentiens fervorem, bonum signum est.*

30. *Totum sensibile, quod experimur in Vità spirituali est abominabile, spurcum, & immundum.*

31. *Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.*

32. *Nec antè, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis Animabus Internis) quàm permanentia in solità resignatione passivà, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in Vià Ordinarià. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei: aliàs sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ.*

33. *Malè agit Anima, quæ procedit per hanc Viam Internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum: quoniam Animæ Internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi: Et idē dicitur de locis Sacris, quia hujusmodi Animabus omnia loca æqualia sunt.*

34. *Verbis, & linguâ gratias agere Deo nõ est pro Animabus Internis, quæ in silentio manere debent, nullũ Deo impedimentũ apponendo, quod operetur in illis; & quò magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.*

35. *Non convenit Animabus huius Viæ Internæ, quòd faciãt operationes etiã virtuosas, ex propriâ electione, & activitate, aliàs nõ essent mortuæ: nec debẽt elicere actus amoris ergà B. Virginẽ, Sãctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor ergà illa.*

36. *Nulla Creatura, nec B. Virgo, nec Sãcti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.*

37. *In occasione tentationum, etiã furiosarum nõ debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppositarũ: sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.*

38. *Crux volũtaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum; ideoque dimittenda.*

39. *Sanctiora opera, & pænitẽtiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab Anima vel unicam adhæsionem.*

40. *Beata Virgo nullum unquàm opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad Sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.*

41. *Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigiliâ, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illorum manus, & alia membra contrà earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata; quia in his non adest consensus.*

42. *Potest dari casus, quòd huiusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum scilicet maris, & fæminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.*

43. *Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio* Dæmonum, *qui causando in eis prædictas violentias, faciunt, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se* Deo *resignent.*

44. *Iob blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex* Dæmonis *violentiâ.*

45. *Sanctus Paulus huiusmodi* Dæmonis *violentias in suo corpore passus est, unde scripsit,* non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.

46. *Huiusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec*
D *alia superest via. Et hæc est via facilior, & tutior.*

47. *Cum huiusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscæni propriis manibus, & etiam peiora, non opus est, se ipsum inquietari; sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & Sanctissimè fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.*

48. *Satanas, qui huiusmodi violentias infert, suadet deindè gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in Viâ Internâ ulteriùs progrediatur; unde ad eius vires enervandas melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata nec etiam venialia.*

49. *Iob ex violentiâ Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo* mundas habebat ad Deũ preces (*sic interpretando locum ex cap. 16. Iob.*)

50. *David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis huiusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.*

51 *In Sacrâ Scripturâ multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Ut illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, coniugium iniit cum alienigenâ, & cum Dalidâ meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, &*
B *peccata fuissent. De Iuditta, quæ Holoferni mentita fuit.* De *Eliseo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit* Duces *cum turmis Regis Achab. An verò fuerit violentia immediatè à* Deo *peracta, vel* Dæmonum *ministeria, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.*

52. *Cum huiusmodi violentiæ, etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc Anima* Deo *potest uniri, & de facto semper magis unitur.*

53. *Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, ne dum sunt protestationes Animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut iurare non posse, quòd in iis consenserint; & videre, quod sint Animæ, quæ proficiunt in viâ internâ, sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ, ac Theologicâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum internâ certitudine, quòd talis operatio est violentia, &*
C *certus sum, quòd hoc lumen à* Deo *procedit, quia ad me pervenit coniunctum cum certitudine, quòd à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quòd Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quòd ipse sit qui revelat, & Anima in contrarium non potest dubitare.*

54. *Spirituales vitæ ordinariæ in horâ mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio Mundo purgandis.*

55. *Per hanc Viam Internam pervenitur, etsi multâ cum sufferentiâ ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quòd nihil amplius sentitur, nihil nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec Anima se amplius commoveri sinit.*

56. *Duæ leges, & cupiditates, Animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus est, & mortuus, uti fit per Viam Internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius nequidem veniale peccatum.*

57. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.*

58. *Ad huiusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.*

59. *Via Interna seiuncta est à Confessione, à Confessariis, & à Casibus conscientiæ, à Theologiâ, & à Philosophiâ.*

*60. Ani-*

Digitized by Google

60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori in cipiunt, & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tantâ gratiâ præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideò huiusmodi Animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere: quia id est illis impossibile.*

61. *Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quàm quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.*

62. *Per viam Internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.*

63. *Per viam Internam pervenitur etiam ad mortem sensuum: quinimò signum, quod quis in statu nihilitatis maneat idest, mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, ac si non essent; quia non perveniunt ad faciendam, quod intellectus ad eas applicet.*

64. *Theologus minorem dispositionem habet, quàm homo rudis, ad statum contemplativi. Primò quia non habet fidem adeò puram. Secundò quia non est adeò humilis. Tertiò quia non adeò curat propriam salutem. Quartò quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.*

65. *Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò ad exterius pertingit. In interiore verò aliter res se habet, quò solus Deus, & Director intrant.*

66. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesiâ Dei, quòd Anima quoad Internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, Anima ipsum cum suo Directore adeat. Novam, dico, doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquàm tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non iudicat de occultis, & anima ius habet eligendi quemcumque sibi bene visum.*

67. *Dicere, quòd internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non iudicat de occultis: & propriis Animabus præiudicant his deceptionibus, & simulationibus.*

68. *In Mundo non est facultas, nec Iurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum Animæ: & ideo opus est animadvertere, quod hic est insultus Satanæ &c.*

Lecta sunt hæc publicè Romæ in templo S. Mariæ Maioris suprà Minervam, præsentibus omnibus S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Prælatis, universoquè Populo per concessionem Indulgentiarum convocato, in faciem eiusdem *Molinos*, qui in habitu pœnitentis stabat in suggestu. Sciagraphia hæc finalis iudicii, in quâ solâ defuit cõfusio Rei. Die 3. Septemb. 1687. cum opiparè prandisset elvo iste, atquè gurges natus abdomini suo, imperterritus stabat non vultu demisso, nequè rubore suffusus, audiebat scelera, quæ minister S. Inquisitionis vociferabatur; omissis tamen fœditatibus inhonestioribus. Imposita est ei jejunii pœnitentia, quod intrà viginti duorum Annorũ spatium in Quadragesimâ, nec Sanctorum vigiliis nunquàm obierat, sed in ipsa feriâ 6. & Sabbatho carnes semper comederat.

Die Iovis damnatus etiam Antonius Maria de Leonibus, eiusquè socii, ex Comensi diœcesi, accusatus spreviſſe sensum Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum sacræ Scripturæ veluti ambages philosophantium. Pacem à Christo relictam verbis illis, *Pacem meam do vobis* in solà Quietis oratione consistere: propterea conscientiam suam non permutaturum cum conscientià Deiparæ, nequè Dei. Superfluas esse intercessiones Sanctorum, Orationem Vocalem, Ieiunia, Ecclesias, cum Deus non ignoret mortalium ærumnas. Dies omnes æquales, in quibus minimè abstinendum à carnibus iuxtà id *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Superfluam esse Confessionem Sacramentalem; satis ad Orationem Quietis, si homo semel confessus esset; cæterum cremandos esse Confessores. Mortalium crimina, pollutiones, tyranidem esse Diaboli, Deo permittente, ad castigandum corpus, & purificandam animam, quemadmodum Iob licèt blasphemarit, non *peccavit tamen labiis suis*; sæpè Deo volente amitti Virginitatem, nè de ea homo intumescat. Per orationem Quietis Animam uniri Deo, & Deum fieri: Dari quatuor leges Naturalem; Mosaicam, Evangelicam, Quietis, quæ ad similitudinem virgæ Mosaicæ, devorat leges priores, eritque Deus Deorum, quæ post præsentem Pontificem, Mundum reformabit universum, ut fiat unum Ovile, & unus pastor. Tunc Animæ Cœlum conscendent unà cum corpore: interim Christus, & Deipara extrà Paradisum expectant, ut moriantur, & posteà ad hanc Quietem resurgant, in in quà non ieiunia, nec sacramenta. Malè dici in symbolo Athanasii, *Filium esse increatum*. Ecclesiam decipi, cum ei deficiat Spiritus Sanctus. Hæc revelari tantummodò carceratis ex causà S. Inquisitionis, magistro Deo, quod probare offerebat per ignem, & aquam. Per bimestre obstinatus sprevit Theologorum consilia, donec decem Dierum spatio excitatus palynodiam canere, pœnitentiam professus, detestatus errores, carceri est datus perpetuo, ut ibi recitatione diurnà Symboli Apostolici, & Coronæ Marianæ, Deum sibi reconciliaret iratum.

28. *Iura, Regalià.* Nomen æquivocũ Gallis, & Anglis. *Ius significat percipiendi fructus Episcopatuũ vacantiũ, & beneficia cõferendi, quibus non sit annexa cura animarum dependentia ab Episcopatu vacanti.* Vacare autẽ volunt Episcopatum etiam post nominationem factam, immò & consecrationem Episcopi, donec novus Episcopus Regi sacramentum solverit fidelitatis, & inter publica monumenta *Cameræ Apocharum* fuerit registratum, ibiquè numeratà certà pecuniæ quantitate, iudicium fuerit consequutus, idest testimonium publicum, omnia hæc impleta fuisse (quod *Arrest de main levèe des fruits* Gallicè appellatur) Insuper quòd pesonaliter possessionem subierit Episcopatus. Deficiente namque illo *Arresto*, etiam post corporalem possessionem, & consecrationem adhuc vacare dicitur Episcopatus, & beneficia si vacare contigerit, non ab Episcopo conferenda, sed censeri volunt de iure *Regalia*.

In huius origine cum non conveniant historici; relata referam. Dicunt aliqui (teste *Appamiensi Episcopo in libello suo typis dato de* Regal. *l.* 1. *c.* 4.) ius esse coronæ; alii cœlitùs demissum; alii *Clodoveo* indultum ab Aurelianensi Concilio; alii *Carolo* M. datum ab *Hadriano* Romano Pontifice; alii speciem esse Investituræ; alii Ius Patronatus, vel Præscriptionis, cuius ori-

origo non sit memoria. *Origo incognita* (ait *Pinsō tract. de benef. Eccles.* verbo *Institutione*) *omnia hominum excedens memoriam, in posteriora tempora, & hodierna, continuâ observatione sese diffundit Ægyptiaco Nilo similis, cuius eò nobilior est cursus, quòd origo latet, & usquè hodiè incognita manet.*

Hoc tamen Appamiensis negat Episcopus ex Concilio Parisiensi Anno 625. regnante Clotario II. *His etiam constitutionibus adnecti placuit, ut defuncto Episcopo, Presbytero, vel* Diacono, *vel quocumquè iunioris ordinis clerico, non per præceptum, neque per iudicem, nec per qualemcumquè personam res Ecclesiæ, vel eorum propria, quousquè aut testamentum, aut qualemcumquè obligationem fecerit, cognoscat, à nullo penitùs suprascripta res contingantur. Sed ab* Archidiacono, *vel* Clero in omnibus defensentur, & conserventur. *Quòd si quis immemor definitionis huius temerè aliquid auferre præsumpserit, aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, & de dominatione* Ecclesiæ *abstulerit, ut necator pauperū, communione privetur.* Hæc usquè ad Reges primæ lineæ observat *Appamiensis*.

Reges pariter secundæ lineæ (ex Concilio Parisiensi An. 846. contrà Carolum Calvum, qui posteà Anno 876. canonem confirmavit) voluere: *Ut quoties divinum iudicium aliquem* Ecclesiæ *præsulem è sæculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem, facultates eius invadat, diripiat, & ad suum ius transferat; sed erogatariis, & Eleemosinariis Ecclesiasticis cum ipsius Ecclesiæ constituto œconomo, liberum sit canonico more, iustè, rationabiliter deputata successuro reservare, vel quibuscumquè, sicut expedit, prò eius spiritu distribuere.* Consonat Hincmarus *ep. 5. n. 41. Sicut Episcopus & suas, & Ecclesiasticas facultates in vità suà disponendi habet facultatem, ità facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penès œconomum integrè conservari iubentur futuro successori huius Episcopi; quià res, & facultates Ecclesiasticæ non in Imperatorum, ac Regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, sivè diripiendum, sed ad defensandum, atquè tuendum.* Idem habes *ep. ad Carolum Calvum.*

Quòd si aliquandò Reges necessitate compulsi bona occupavere vacantia, iustà posteà compensatione restituerunt; ut Carolus Calvus, qui teste Frodoardo *l. 3. Rhem. cap. 6.* fructus Rhemensis Episcopatus occupatos vacantis Hincmaro restitui mandavit. *Proindè noverit omnium fidelium Dei, ac nostrorum solertia, quia res ex Episcopatu Rhemensi, quas magnà necessitate, & per omnia inviti, dum à Pastore sedes illa functa vacaret, fidelibus nostris ad tempus, undè quoddam temporale solatium in nostro haberent servitio, commendavimus, electo, & ordinato in munere S. Spiritus per Dei, & nostram dispositionem in eàdem S. Sede Hincmaro Archiep., hoc nostræ auctoritatis præcepto, cum integritate quidquid exindè nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentialiter restituimus, &c.*

Idem fuisse observatum à Regibus tertiæ lineæ apparet *ex ep.* 118. Gerberti Archiep. Rhemensis, posteà Romani Pontificis, nomine Silvestri II. ad Clerum. *Sit interim vestra pervigil cura, ut secundùm divinas, & humanas leges res defuncti* Episcopi *tàm mobiles, quàm immobiles futuro reserventur Episcopo.* Sub Philippo I. vult Appamiensis *cap. 8. lib. 1.* declinasse pietatem, ut ex *ep. 35. lib. 1. & lib. 2. ep. 5. 18. 32.*

Quandò verò Regalia incæperit? Respondet Petrus de Marcà (teste Appamiensi *c. 9.*) originem habuisse ex Lateranensi Concilio Ann. 1112. & loco stare Investituræ. Anteà apud Historicos nulla mentio. *Mezeray* inter historicos Galliæ gravissimus antiquiorem recensens originem scribit: *Sciendum est, Ecclesias Orientis, & Occidentis abusu laborasse gravissimo, quòd mortui Episcopi bona Clerici expilabant. In Gallià circà Annum Millesimum, eodem abusu idem faciebant laici tam contrà* Episcopum, *quàm cæteros beneficiatos, eo fundamento, quòd bona Ecclesiæ Ecclesiasticis sint concessa à laicis, ut pauperibus distribuantur: undè illi si ab hoc fine declinaverint, iustè repetuntur. In usum autem abusus transiit temporis beneficio, Pontificum, & Conciliorum prohibitione præteritâ. Principes enim autumantes bona populi, sibi competere tanquàm capiti, cæperunt primò usurpare fructus Episcopatus vacantis, indè collationem Beneficiorum, exceptis beneficiis cum curà animarum. Morem hunc antè regnum Ludovici VII. appellarunt Regaliam, licèt non omnibus communem, sed in paucis receptum Episcopatibus,* & nunquàm pacificè. Teste namquè Spondano Anno 1301. Bonifacius VIII. sequentia scripsit Philippo Pulchro. *Ecclesiarum Cathedralium proventus, quos appellabant Regaliam per abusum, immoderatè assumere, sicque fieri, ut quarum custodia fuisset ab initio* Regibus *pro conservatione permissa, nunc ad consumptionis noxam devenirent.* Propterea in 8. articulo, quos per Io: Monachum Legatum Pontificium (teste Spondano An. 1303.) eidem Regi Bonifacius præcepit, inquit. *Non debere Regem abuti custodià Ecclesiarum Cathedralium vacantium, quā vocant Regaliā per abusum; sed deductis necessariis, & moderatis expensis, residuum fructuum reservandum esse futuris Prælatis.* Quo ex articulo mens deducitur Lugdunensis Concilii, Annis viginti octo suprà celebrati, & post quinquennium in Sextum decretalium relati ab eodem Papà Bonifacio VIII. fuisse facultatē datam Regibus percipiendi fructus Episcopatus vacantis relatione habità ad laborem custodiendi fructus illos: Hinc (ità observat *Appamiensis*) Parlamentum, cui usus pro lege, fructuum vacantis Episcopatus portionem assignat Regi, cætera Episcopo futuro.

*Regaliæ origo ex Concilio Laterano.*

Notat idem Appamiensis *cap. 12.* tàm in Concilio Lugdunensi, in quo de *Regalià* disputatum, quàm in contestatione Bonifacii VIII. contrà Philippum Pulchrum, Reges semper declarasse *Regaliam* extendi ad eas solas Ecclesias, in quibus Regaliæ est usus immemorabilis; donec Anno 1585. Regii ministri in comitiis coactis ad S. Germanum articulum proposuere sequentem: *Rex ius habet Regaliæ super omnes Archiepiscopatus, & Episcopatus* Galliæ. Reclamarunt Commissarii Regi significantes *Henrico III.* dari Ecclesias exemptas titulo oneroso, ratione permutationis vel Transactionis cum Regibus initæ, Alias à tempore cuius initii non est memoria, Regaliæ non esse subiectas. His non obstantibus, cum Reges Ecclesiæ, quæ Parisiis dicitur *Sainte Chapelle* plures fructus Regaliæ donassent, coacti sunt nonnulli Episcopi ad declinandas lites transigere. Ejusdem etiam Beneficii cum duo reperirentur possessores, unus manu Regià, alter Episcopali, ille sæpè prævaluit. Immò Anno 1596. edictum exiit à Parlamento Parisiensi, quo Archiepiscopus Burdegalensis, declaratus est Regaliæ subiectus, ut cæteri Episcopatus in Regno Galliæ. Ità servatum usquè in An. 1606.

*Ecclesiæ exemptæ titulo oneroso.*

*Abusus Regaliæ*

quo

Digitized by Google

quo Henrici M. edicto (ut in 2. *vol. rerum Cleri Gallic.*) iura Episcopatuum restituta sunt iuxtà dispositionem Cooeilii Lugdunensis. Anno tamen 1608. instante *Servino* Advoeato Generali, novo Parlamenti iudicio Episcoparus *Sebusianenses* Regaliæ subijciuntur cū exteris omnibus Episeopatibus Regni, pœnà in advocatos decretà, si verba miscerent adversa. Durarunt hæc usquè in Annum 1629. quùm reclamante Clero *Ludovicus XIII.* in integrum restituit edictum *Henrici* IV. declarans, *velle gaudere Regalià Corona debità iuxtà antiquam consuetudinem. Propterea Beneficiati ex collatione Ordinarii, si per triēnium pacificè possederint, turbari minimè poterant ex Regià collatione, iuxtà decretum Henrici patris nostri Anno 1606. Mens. Decemb.* Plura alia emanarunt à Rege decreta, (quæ Episcopus recitat Appamiensis *cit. cap. 12. lib.* 1. præcipuè 12. April. An. 1657. donec Anno 1673. mense Februar. mandavit Rex Episeopis omnibus Regni sui *iuramentum solvere fidelitatis, & intrà bimestre testimonia recipere numerata pecunia à Camerà Computorum, aliàs Beneficia intelligerentur vacantia, & Regalia subiecta. Anno tandem* 1675. *declaravit Rex quantum solvere teneretur quilibet Episcopus, iis exceptis, qui essent immunes titulo oneroso.*

Decretum hoc nullus Episcoporum Galliç improbavit palàm: Donec An. 1675. mense Maio, cuidam clerico Tholosano nomine *Stephano la Gorrèe*, qui Thesaurarii dignitatem adeptus erat in Ecclesià *Electensi* per resignationem sibi factam in manu Regis, possessionem petenti *Nicolaus Pavilonus Episcopus Electensis* publico decreto negavit; & *quòd Provincia Narbonensis ex possessione immemorabili immunis esset à Regalià; & quòd 36. Annorum pacificà possessione ipse Beneficia sui Episcopatus contulisset, proptereà sub pœnà excommunicationis ipso facto incurrendà tam dicto* La Gorrèe, *quàm Capitulo interdicebat se immiscere in dictà dignitate, illi agendo, istis permittendo.* 30. *Maii An.* 1675. Casus etiam in Canonicatu eum contigisset non dissimilis, opus credidit Clerum certiorem facere tunc congregatum apud S. Germanum, datis literis, die 8. Iulii 1675. non solùm ad Cleri comitia, sed etiam ad Archiep. Parisiensem Comitiis præsidentem; & Cardinalem *Bonzii* Archiep. Narbonensem; & Episcopos Monpenserium; & Bliterensem. Recusarunt isti literas Comitiis tradere, quòd ex Regio decreto An. 1673. arcanum Regaliæ fuisset contrà Episeopos absolutum; nec aliud superesset remedium, quàm ad Regem recursus. Vrgēte tamen *Electensi* Episeopo, huius epistola comitiis data fuit nec sinè plausu. Licet obstante Parisiensi Episcopo, nulla acta sit deliberatio, datà solà fideiussione conveniendi Regem.

Episcopi Electensis gesta.

Degebat hoc tempore Parisiis *Franciscus Episcopus Appamiensis*, cui *P. de la Chaize* confessor Regius suadebat, testimonium recipere prçstiti iuramenti fidelitatis, nè turbari posset in collatione Beneficiorū, cui cum aequiescere decrevisset, posteà meliùs consultus recusavit, nè præiudicium inferret libertati sui Episcopatus. Non cessabant interim Regalistæ perturbare Episcopū Electensē beneficiorū collatione, quæ Coronæ devoluta asserebant: undè ipse repetito decreto die 5. Maii A. 1676. sub pçnà suspensionis, & excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibuit, nè cū promotis à Regalistis Clerici communicarent, vel possessionem permitterent. Ad famam decreti alii Episcopum laudarunt tanquàm propugnatorem Ecclesiasticæ libertatis; alii accusarunt Zeli indiscreti; Si enim Clerus Gallicanus silendo aequieverat Regio edicto, quid unus, & solus inter tantos reclamaret Episcopus? Alii nimis fervidum, & incivilem, quòd contrà Regia edicta exorsus esset à censuris; iustiùs fuisset primò Regem adire. Huius opinionis erat Cardinalis *de Bonzii* Archiep. Narbonennensis, qui per Vicarium tentavit Electensem ab opinione retrahere, nè ipse tanquàm Metropolita censuras revocare teneretur impositas, & censorem corrigere.

Secundum decretum Electensis Ep.

Metropolita Narbonensis adversatur Electensi.

Eodem tempore *M. de Bezons* Iustitiæ præfectus in provincià Narbonensi, datis literis die 5. Maii Anno 1676. prævio salutationis officio, arguebat ut insolitum, *quòd ipse Episcopus tanquàm iudex in proprià causà censuras pronunciaret in beneficiarios promotos iure Regalia. Certum enim, intrusum non esse, qui titulo gaudet vero, vel colorato; cuius cognitio in Gallià semper spectavit ad laicos tàm in petitorio, quàm in possessorio.* Ex *hoc tamen via non præcluditur, ut exempti ad Regem proclament, & sæpiùs vincant contrà Regalistas. Verùm dissimulari non potest, quòd per vestrum edictum directè intenditur contrà ius Regium. Si enim Reges nostri semper laudabiles, quià Ecclesia* Gallicana *libertatem sartam voluerunt contrà Romanam Curiam; quomodò poterit* Rex *præterire machinamenta mortalia, quæ diriguntur contrà antiquissima iura Coronæ. Certum enim,* Regaliam *non esse privilegium, sed ius* Regale. *Hinc est, quòd amici tutelam vestri edicti subire non audent, cum tamen Regalistæ cogantur defendere iura sua. Quibus si Clerus Gallicus contradicere minimè duxit; non est, cur vos à cæteris distinguere præsumatis, &c.*

Hisce literis, aliisquè Cardinalis *de Bonzii* respondit graviter *Electensis* ut in libello edito An. 1680. cui titulus, *Relation de ce, qui s'est passè touchant l'Affaire de la* Regale. Omnia habentur in epistolà eiusdem Electensis ad Regem missà, in quà præmissis, quç Regiam benevolentiam ei conciliarent, ait. *Agitur, Rex, de iure gravissimo Ecclesiæ meç, communi tamen provinciæ Narbonensi, quæ Regaliæ est nunquàm subiecta. Et hoc non ex privilegio à Regibus indulto, sed ex iure communi, & naturali libertate eius fundationi connatà, quà Episcopi fruebantur sub Regibus primæ, & secundæ lineæ, eoquè tempore, quo Comites Tholosani, aliiquè provinciam hanc possidebant. Cum hac libertate Gallica adiecta coronæ, regnante Ludovico Sancto, Anno 50. controversiarum, quæ de Investituris Imperium fatigarūt, & Ecclesiam, quo tempore usus Regaliæ irrepsit in Galliam præcipuè in Ecclesias viciniores Parisiis, salvà semper libertate provinciæ Narbonensis, etiam regnante Philippo Ludovici filio, in Lugdunensi Concilio Generali, quod celebratum est adstantibus Philippi Legatis, in quo decretum,* nè Regalia introduceretur ubi non erat: lege datà Ecclesiasticis libertatē propugnādi. *Decretū hoc à Philippo laudatum, & Successoribus Regibus contentis* Regalia *frui solàm iuxtà consuetudinem antiquā. Philippus ipse Pulcher, quamvis contrà Bonifacium VIII. etiam gladio defenderet iura sua, tamē litteris, quæ adhuc servantur in Archivio Episcopatus Narbonensis, provinciæ fassus est libertatē.* Accedit *catalogus Ecclesiarum editus iubente eodem Philippo Pulchro, in quo viget Provincia Nar-*

Electensis epistola ad Regem.

Digitized by Google

bonensis, tanquàm immunis. Eundem morem servarunt Reges Carolus VI. Carolus VII. Ludovicus XI. XII. Ludovicus XIII., qui dictus est pater populi, interdixit Regalistis, nè iura extenderent, ubi non erant sub pœnà sacrilegii. Parlamentum tercentorum Annorum spatio, in suis iudiciis ab hac regulà non declinavit. Hinc est, quòd Auctores omnes, quamvis aulici, & Regis Officiales, qui de hac materià scripserunt, hunc nobis tradidere aphorismum, Regaliam non esse communem in toto Regno Galliæ: *sed plures Ecclesias, atque Provincias immunes, & præcipuè Narbonensem, quę etiam post Lugdunense Concilium publicis monumentis servavit libertatem suam, ut clarè docuit M. de Marcà* lib. de Concordià Sacerdotii, & Imperii: *quamvis* Regalistæ M. *T. exposuerint ius*, Regalię *connatum esse coronà, undè ad similitudinem coronæ æquale esse debeat in toto Regno contrà ea, quæ docuerunt Historici, Generale Concilium, decreta Regum, iudicià Parlamenti, Aulici, qui de Regalia scripserunt. Eàdem ratione crediderunt subiiciendos esse Regaliæ etiam eos, qui exempti sunt titulo particulari, eà ratione, quòd ius Regaliæ sit inalienabile, & imperscriptibile; supponendo quod est in quæstione. Hoc enim quæritur, an* Regalia *sit perscriptibilis.* Ratio, *quæ adhuc ad spolium non sufficeret. Si enim æquum, & iustum, civitatibus, & Universitatibus civilibus pacta servare, quantò magis Ecclesiæ, cum agitur de restituendo ei naturalem libertatem. M.T. quæ Annis elapsis salvam voluit immunitatem Ecclesiæ d'Arras, non minùs Narbonensem respiciet, cuius libertas nata confirmata est pluribus* Regum *decretis.* Regalistæ *enim merito, & ordine ut deciperent M. T. prætextu controversiarum inter eos, & beneficiatos, causam à Parlamento evucaverunt ad Consilium Regiū, ubi Clero præclusà vià iudiciarià, unus ad Regem superest recursus contrà vexationem Regalistarum &c.*

Et infra.

*Hisce rationibus ductus, credidi salvo obsequio M.T. registrum præterire Sacramenti fidelitatis, & ad tutelam Episcopatus, quem per* Annos 40. *possideo iure uti Ecclesiastico, ad declinandos turbines. & seditiones, quas excitabant intrusi Beneficiati* Regaliæ *titulo, ut expoliarent dignitates primarias Cleri nostri, quæ multis ab Annis pacificè administrarunt; contrà quos consulere credidi iuxtà ordinem Ecclesià decretum in Generali Concilio, & per quatuor sęcula Gallorum usu adprobatum. Quòd si reliqui Episcopi hunc ordinem non sunt æmulati, diversæ propterea non sunt arguendæ opiniones, satis enim Ecclesià suà credidere consultum, protestationem scripto expressam reponendo in* Archivio *suæ diœcesis. Ego autem conscientià satisfacere minimè habui, nisi temporales fructus, & collationem Beneficiorum, quæ spiritualis est, & Hierarchica, decreto defenderem. Paulus Apostolus cum vinculis detineretur propter fidem Evangelicam, & se defenderet coram Rege Iudæorum, interrogavit libertate Apostolicà?* O Rex credis nè Prophetis? scio quòd credis. *Sic mihi minimo Episcoporum regni tui, indulgeas, ut interrogem*, Credis nè Ecclesiæ convocatæ in Concilio? scio quòd credis. *Gloriaris enim tanquàm filius* Ecclesiæ *primogenitus, & Protector* Sacrorum Canonum. *Scio te non oblitum promissionis* Deo *factæ in solemnitate inaugurationis tuæ, tuendi* Ecclesiam, *eiusquè ministros, conservandi* Episcopis *privilegia canonica, immunitatem scilicet inseparabilem ab eorum characteribus, & prærogativas iuxtà* Canonum, *& Re-*

A *gum Christianissimorum decreta. Scio M. T. iustitià Zelotypam, in causà non defuturam* Ecclesiasticà, *nè onere graviori animam afficiat, quæ Deo redditura est rationem villicationis suæ. Indulge* Rex *libertati meæ. Venia namquè indignus forem, si postquàm in* Episcopatu *consenui, veritatem occulem* Regi *meo, salvà tamen obedientià, & debità submissione, ut natam* Ecclesiæ *meæ libertatem, quam mihi credidit Iesus Christus, eidem intactam restituere valeam supremo* Ecclesiarum *Pastori, cui mox mox redditurus sum rationem villicationis meæ, & præcipuè in illo tremendo iudicio, de iure servato, vel derelicto sponsæ meæ. Is cum sit,* Rex, *qui dirigit corda* Regum, *manibus tractat, ut quò vult spiret, hunc rogo & vehementer efflagito, ut te impleat prudentià, iustitià, pietate ad veritatem iudicii.* Expandat *super tuam sacram personam abundantiam gratiæ, & benedictionis, ut*

B *de te dicat* Inveni hominem secundum cor meum. *Hæc vota, quæ incessanter in precibus, ac sacrificiis meis solvo prò* M. *T.* Meliora *enim non habeo, quibus reverentiam, & fidem inviolabilem servitio Tuo, ac desiderium profitear gloriæ Tuę, ut ex profundo cordis obsequio sum*

M. *T.*

Humillimus, *Obseq. fideliss. Subditus, & Servus*

*Nicolaus* Ep. *Electensis*.

28. Iunii *1676.*

Epistola supradicta priusquàm redderetur Regi stanti in castris; exiit edictum à *Consilio Status* die 23. Iunii, quo nulla declarabantur Episcopalia decreta, sub pęnà privationis, & cassationis beneficiorum, & dignitatū cōtrà Regio obstātes edicto, qui propterea tanquàm perturbatores pacis publicæ forent puniendi. Iudicium hoc cum die 9. *Iulii* Episcopo significassent Electensi, & in plura monumenta publica retulissent, epistolam etiam, quam vocant *De Cachet*, intimarunt D. Ragotio Canonico, & Ar-

Decretum cōtra Electensem à Regis ministris.

C chidiacono Cathedrali, atquè primario inter domesticos Electensis Episcopi, ut sub pœnà Regiæ indignationis Brivas exularet. Cum autem in Epistolà *Promotor* appellaretur, suppresso titulo Canonici, & Archidiaconi, significavit iste D. de Castro Novo Secretario Status, se nunquàm Promotorem fuisse. Frustrà tamen; non solum enim confirmatum est exilium *Ragotii*; sed novum impositum contà D. *Digeonem* Canonicum Cathedralem, & palatinum Episcopi.

Ministri Episcopales in exilium pulsi.

Suis privatus domesticis, & Officialibus Episcopus, maiori vigilantià officio incubuit Pastorali, orationum frequentià instando apud Deum, diebus festis publicè concionaudo, & gregem excitando ad orationes, atquè ieiunia. Die 15. Octobris venit D. *de Foix* diœcesanus de *Couzerans* ut vigore Regaliæ possessionem obtineret Decanatus, & Canonicatus Electensis. Obstitit Episcopus, paternè primùm admonendo iuxtà illud Pauli, *Deum timete, Regem honori-*

D *ficate*. Securus de Regià iustitià, quæ vim inferebat nemini; posset tam liberè secedere, quàm securè loqui, iuxta illud Ecclesiæ: *Loquebar de testimonis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*. Non latere, à quibus concitaretur aula, quibus tamen nunquàm dederat occasionem dissidii (Hisce verbis dicitur Episcopus Iesuitas notasse, quorum in societate *D. de* Foix tenebat duos fratres carnales, eorumquè patrocinio, interprete *P. de la Chaize* Regio Confessario non solùm fuerat promotus, sed etiam

mor-

mortuo Episcopo Electensi pensionem posteà est consequutus quingentorum scutorum ) Cum autem paternà admonitione nil proficeret Excommunicationis tandem fulmen intonuit, nè legi deesset Ecclesiasticæ. Omnia tamen in cassum: Alectæ enim cum notarios non inveniret *D. de Foix*, Limosio evocatis ministris, Syndico Capitulari Regium intimavit decretum. Convocati Canonici, qui soli quinque supererant (D. *Pommierius Decanus* longè stabat specie infirmitatis ) sed sententià diversi: duo Episcopo adhærebant; tres minimè reclamabant Regio iudicio. Eàdem ergò die 17. Octob. possessione receptà coram Notario, & testibus ascendit in chorum cum superpelliceo in locum Decani Vesperis intercanendo, & Completorio. Quibus cognitis Episcopus die 17. Octob. *1676*. sequens exposuit edictum.

*Nicolaus ex misericordià Dei Ep. Electensis Fidelibus suæ diœcesis salutem, & benedictionem in D N.I. C. Cum ad aures nostras pervenerit* D. *Io: Petrum Gastonum de Foix Diœcesanum* De Couzerans *in* Regal*iam obtinuisse Decanatum, & Canonicatum Cathedralem Electensem, pacificè possessum ultrà Annos decem à* D. *Petro Pommierio, hodièque habità possessione adfuisse Vesperis, & Completorio in qualitate Decani, & in posterum actus velle exercere dicti beneficii contrà tenorem edicti nostri publicati 5. Martii* A*nn. 1676. eidem publicè significati, quò omnibus est interdictum sub pœnà excommunicationis ipso facto incurrenda se intrudere in beneficia nostræ* Diœcesis *in* Regal*iam obtenta, & contrà paternam admonitionem, quà ab attentato retrahere conati sumus & contrà ordinem tam civilem, quàm Ecclesiasticum, spretis censuris, quas Lugdunense Concilium Œcumenicum sub Gregorio* X. *in hac materià decrevit, per nostrum edictum executioni datas; tandem contrà usum Regni, quò nemo vigore simplicis provisionis potest possessorem suo expoliare beneficio, virtute* Regal*iæ, ni publica præcedat causæ cognitio; mandavimus, trinà admonitione Canonicà D. Foix ad obedientiam revocari Concilii, & edicti nostri, quo termino elapso ni desistat declarabitur excommunicatus, &c.* Tunc D. de Foix emissà contrà Episcopum protestatione decessit. Episcopus autem die 20. Octob. Ann. *1676*. ad excusationem suæ libertatis, & testimonium fidelitatis, novam Regi scripsit epistolam lachrimis irrigatam. Ineũte Octobri cũ rescivissent Episcopi Electensis, & Appamiensis *Innocentiũ XI.* recens electum in R.P. honestè de eis fuisse loquutum crediderunt devotiooi satisfacere suam de eius electione testando lætitiam; & forsan contrà Regalistas brachium adoriri Pontificis, licèt in hac primà epistolà de *Regalià* nec syllabam miscuerint.

Epistola Episcopi Electensis.

*Beatissime Pater. Dum ex toto orbe Christiano plerique omnes certatim Vestræ se Sanctitati sistunt, quò suâ de canonicà eius electione lætitiam testentur, Ipsiq. fœlicem Põtificatus administrationẽ exoptent; haud ingratum ei fore duxi, si ipse quoquè per has literas ad illam supplex accederem, &, quod præsens officii genus explere nequeo, hac chartà devotionis meæ, singularisquè observantiæ interprete, quàm demissè fieri potest, exolverem.* Neque *veritus sum, Beatissime Pater, nè inter tot faustas acclamantiam voces non audirer, neve mihi ignobilis oppidi, atquè exiguæ diœceseos* Episcopo, *aditus ad* Thronum *Apostolicam occluderetur affluentià clarissimorum, cùm Ecclesiastici, tùm secularis ordinis virorum, qui hoc Pontificatus Vestri exordio Vestris pedibus deosculandis advolvuntur. Siquidem pro certo habeo Vestræ Beatitudini in illo dignitatum fastigio propositum esse Christi Domini benignitatem imitari, cuius oculos, & animum preciosa multorum divitum dona ab unius inopis viduæ munusculo non avocarunt.* Persuasum *planè omnibus,* Beatissime *Pater, Sanctitatem Vestram Cathedræ suæ amplitudinem non seculari pompà, sed religiosis pro commissi sibi gregis salute curis, & laboribus metiri, hocque unum ei esse cordi, ut omni studio, & totà mente propagandæ fidei, instaurandæ morum disciplinæ, & publicæ paci stabiliendæ incumbat.* Hæc *sunt quæ à Sanctitate Vestrà in universalis* Ecclesiæ *apice constitutà omnes expectant.* Faxit *Deus, ut quam summam sui expectationem concitavit, hanc copiosà cœlestis dulcedinis bendictione roboratã tueatur, ac vincat. Verùm,* Beatissime *Pater, cum tanta sint quæ à Vestrà pietate, gravitate, constantià, zeloquè religionis Orbis Christianus expectat; id unum maximè sibi ab eximià Vestræ Sanctitatis prudentià, & moderatione* Ecclesia *Gallicana spondet, ut redditam sibi aliquot ab hinc annis pacem servet, sedatasquè Catholicorum* Theologorum *dissensiones unitatis, atquè concordiæ custos, & rector iterum excitari non patiatur. Cum autem nihil eà re, aut utilius Christianissimo regno, aut Vestræ Sanctitati gloriosius esse possit; tum vero illud instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ ac moribus Christianæ plebis instituendis, quod unum maximè optat Beatitudo Vestra, in primis profuturum esse nemo non videt.* Et *quidem,* Beatissime *Pater, quadragesimus ferè annus est, ex quo huic diœcesi administrandæ,* Deo *ita permittente, admotus sũ, Nihil autem toto illo tempore antiquius duxi, quàm populum mihi commissum salutaribus doctrinis imbuere. Canonicam in administrandis Ecclesiæ sacramentis disciplinam sancire, &* Cleri, *plebisque mores ad normam Evangelii, quantùm pro huius labentis ævi infirmitate licet, sacrosanctæ Synodi* Tridentinæ *vestigiis inhærendo, componere. Quàm parum eà in re profeci, peccatis meis obsistentibus, agnosco, & doleo. Nihilominùs, Beatissime Pater, qualiscumquè sit modo nostra diœcesis, hanc Sanctitatis Vestræ oculis supplex repræsento, mihique, & pusillo gregi ut paternam suam benedictionem impertiat, enixè rogo. Nihil quippè octogenario seni optabilius contigerit, aut acriores ad consumandum cursum animos addiderit, quàm si imposterùm intelligam Sanctitati Vestræ meam diœcesis administrandæ rationem non improbari: mihiquè sperare liceat, fore ut Apostolica vestra Charitas suo me sinu complecti, ac benignitate fovere dignetur.* Deus *sua* Ecclesiæ *incolumem servet Beatitudinem Vestram, & post diuturni Pontificatus labores in æternum* Domini *gaudium introducat.*

*Sanctitatis Vestræ.*

Elect. 3. Nov. Ann. *1676*.

*Humillimus, & Obseq. filius, & famulus*

N*icolaus Ep. Electensis*.

Epistola Illustriss. ac Reverendiss. Episcopi Appamiẽsis, ad Innocentium XI. Summum Pontificem.

*Beatissime Pater. Quandoquidem infinita Dei bonitati placuit frequentes, & ferventes bonorum omnium preces audire* Pastorem Ecclesiæ *postulantium, qui eam in multis membris erroribus infectam, vitiis corruptam, tumultibus concussam, & dissensionibus ferè discissam, instrueret, reformaret, ad pacem, & unitatem revocaret, eamquè cœlesti sponso qualem optat, sinè maculà, & rugà exhiberet: Inter publicos fidelium Sanctitati Vestræ seu*

*potius ipsi Ecclesia congratulantium plausus, Episcopi omnium minimi de tanto bono exultantis vocem misceri non importunum fore putavi.* Nec *enim vano deludimur gaudio,* Beatissime *Pater, nec falsà spe decipimur. Eximia tum à naturà, tam à gratià Sanctitati Vestra collata dotes, quibus omnibus, quasi aliorum omnium spiritus, ac vita, sapientissimus, sed ardentissimus Zelus accessit:* Res *præterea iam à Vestrà Sanctitate initio Pontificatus praclarè, mirabiliterquè gesta, Deum in restaurandà* Ecclesiasticà *disciplinà, è quà aniversi ferè populi salus pendet, operà vestrà usurum certissimè pollicentur.* Ego *quidem,* B. *P. summà Sanctissimam Sedem reverentià semper sum prosecutus: à vità citiùs, quam ab eius fide, aut cultu fuissem avulsus: illius mandata tùm internà animi demissione, cùm externà veneratione suscepi, &, ut potui, executioni demandavi; fidem, & pietatem hinc in reliquas omnes* Ecclesia *partes derivandam esse non dubitans. Verum meus ille cultus, & prompta, parataquè ad omnes obedientiæ partes voluntas, multis accessionibus excrevit, quando Deum sibi secundum cor suum virum elegisse audivi. Pastoralem enim Sanctitatis vestræ sollicitudinem in omnes* Ecclesiæ *partes, imò & ad me quantumlibet indignum, atquè ad meam diœcesim etsi remotissimam, sese diffusuram, eiusque consiliis, seu potius præceptis, ope, ac ergà Dei immensam misericordiam precibus, tenuitatem meam, scientià, virtute, & zelo destitutam, non parum iuvandam putavi. Interim B. P. Deum Optimum Maximum assiduis obsecrationibus enixè rogabo, ut Sanctitatem Vestram Ecclesia sua diutissimè servet incolumem, eiusque ad Cleri tum sacularis, tum regularis, totiusquè Christiani Orbis reformationem, zelum, cuius tam praclara iam edidit specimina, in dies magis, ac magis accendat, ac demùm in Illam donorum suorum copiam, & Apostolica gratia plenitudinem largiter effundat.*

*Sanctitatis Vestra*
*Humillimus, & Obseq. in Christo filius*
*Franciscus Ep. Appamiensis.*

Appamiis die 1. Decemb. 1676.

Controvertebatur interim Parisiis quid agendum contrà Ep. Electensem/proponētibus aliis cogendum Episcopum ad revocationem Iudicii, retentis redditibus Episcopatus, vel exilio. Alii mitiùs agendo, inter quos M. *le Tellier* qui Regi à secretis erat, procedendum esse per viam appellationis ad Metropolitā sinè tamē Regaliæ præiudicio; undè fructus beneficiorum darentur Beneficiatis in Regaliam etiam absentibus; cum ecce Brevia Innocentii XI PP. ad Episcopos Electensem, & Appamiensem responsiva literarum.

Innocentius PP. XI.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Non satis verbis exprimere possumus, quo nos perfuderint gaudio devoti, & obsequentis animi significationes, quibus Pontificatum nobis Maximum gratulata est Fraternitas tua. Dum enim virtutum tuarum præstantiam, impensasque sedulò à te magno cum animarum profectu* Ecclesia *tibi commissæ curas, vigiliasque perpendimus, non parùm allevari sentimus tristitiam, quam demandata imbecillitati nostra omnium* Ecclesiarum *sollicitudo iure meritò in nobis excitavit. Solidam enim in spem venimus, fore ut valida à singulari pietate tuà reliqui Episcopi capiant incitamenta, ad creditos sibi greges pari vigilātià, ac charitate custodiendos: præsertim iuxtà traditam à* Concilio *Tridentino normā, quam probè intelligis sanctissimis, sapientissimisq. Præsulibus* Ecclesiis *sibi commissis strenuè regendis, magno, ac præcipuo semper usui, & adiumento fuisse.* Nec *minoris lætitia sumpsimus argumentum ex iis, qua de servandà Theologorum unitate, ac concordià ad nos scripsisti. Te enim in eumdem scopum enixè conspirante, facilè nobis persuademus reliquos Gallia Episcopos eodem flagrantes zelo, tuoquè exemplo, atquè authoritate permotos, sua in idipsum studia collaturos.* Quod *autem ad pastoralem nostram curam attinet, cum inter Christianos Principes temporalem pacem stabilire omni operà, industriàque nitamur, multò magis adlaborabimus, ut spiritualem à quà pendet æterna, custodiamus. Quod ut faciliùs assequi possimus à Fraternitate tuà precibus iuvari cupimus. Qui paratam interim ad Ecclesiæ tuæ rationes promovendas voluntatem nostram tibi pollicemur, atque Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum* Roma *apud Sanctum* Petrum *sub annulo Piscatoris. Die 3. Februarii* M. DCLXXXVII. *Pontificatus nostri anno Primo.*

Subscriptum, *Marius Spinula.*

Breve Innocentii PP. XI. Ad Illustrissimum, ac Reverendissimum Episcopum Appamiensem.

Innocentius PP. XI.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Peculiari cum animi paterni sensu excepimus eximias filialis observantiæ significationes, quas huic Sancta Sedi, nobisque ad supremum eiusdem regimen, immerentibus licèt, evectis, devotè præstitit Fraternitas tua. Pietatem enim, virtutem, cæterasque dotes, quibus inclarescis, perspectas habemus, easque libenter commendamus. Ecclesiastica nimirum disciplina, moribusquè instaurandis, in quod præcipuè curas nostras intendimus, plurimum profuturas planè confidimus. Quia verò infirma sunt vires nostra ad amplissima procurationis partes obeundas, ut opportunum nobis è Cælo præsidium compares, quo pares oneri esse possimus, interim cupimus: Fraternitati tua Apostolicam benedictionem peramanter impartientes. Datum Roma apud Sanctum* Petrum *sub annulo Piscatoris die 3. Februarii* M. *DCLXXVII. Pontificatus nostri anno Primo.*

Subscriptum, *Marius Spinula.*

Mense Aprili An. 1677. cum cognovisset *Ep. Appamiensis* D. *Petrum Paucetum* diœcesis Laonensis venturum ad obtinendam possessionem Archidiaconatus Appamiensis, Regaliæ titulo, edicto præcurrens Electensi non dissimili, sub pœnà prohibuit *excommunicationis ipso facto* incurrendæ; eà ratione quòd Appamiensis Episcopatus non solùm immunis esset à *Regalià*; sed Regularis, & Reformatus neminem admitteret in Canonicum, vel alias dignitates, nisi post Annuū Novitiatus experimentum, ut ex Bullà Alex. VII. à Rege confirmatà. Hunc morem ab eodem observatum Episcopo per Annos 32, absquè ullà contradictione. Hinc Capitulum Cathedrale Claustrale Paucetum cunctis repulit suffragiis, 20. Iun. 1677. Iunio exeunte Episcopus scripsit Regi, à calumnià ut se purgaret, quà æmuli cum accusabant tanquàm militiæ inimicum; nec morem gerentem in subiecto Regaliæ.

Edictũ Ep. Appamiensis in Regalistas.

Rex. *Inter dignitates verè* Regales *quibus sacram per-*

Episto la si Regeio

Digitized by Google

*personam M. T. ditavit Deus, ea prima cum sit, quòd subditos benignè audiat, præcipuè Episcopos, non dedignabitur, ut me purgare valeam à calumniâ, tantò magis, quòd hæc suspectam reddat obedientiam, & fidelitatem, quam ego tibi profiteor Domino meo. Insimularunt me indignè ferre, quòd Diœcesani mei militiam profiteantur: proptereà interdixerim Sacerdotibus, iis sacramenta conferre, ni priùs castris secesserint. Facile esset delatores redarguere, diœcesanos meos recensendo, qui actu arma tractant sub signo M. T. milites, pedites, duces; sed hoc esset abuti patientiâ tuâ. Interroga Confessores, an Sacramenta administraverint hybernantibus sub eorum iurisdictione! immò si ego sacramentum contulerim Confirmationis. Hæreo, quomodò hostes mei, ut me fatigarent, insidias tam debiles excogitaverint, quasi ignorare valeam militiam non solùm artem naturâ esse innocentem, sed necessariam pro bono communi. Exhortor eos sanè cum Io:* Baptistâ *ad observantiam præceptorum suorum, quæ apertè violantur exactionibus violentis contrà subditos tuos, undè coactus fuerit Præfectus Montis Albani, nonnullos eorum punire.* Rogo *etiam, mihi indulgeas, ut rationem reddam villicationis meæ, circà quemdam* Ecclesiasticum *ad* Regaliam *promotum Archidiaconatus Cathedralis* Appamiensis, *cui me adversarium præbui ex solo voto servandi libertatē Ecclesiæ, quantum in me est, iuxtà iuramentum à me solemniter editum in actu consecrationis meæ. Ecclesia Appamiensis ex divinâ miseratione mihi indignissimo credita nunquam fuit* Regalia *subiecta; hoc autem non ex singulari privilegio, sed ex naturâ, & à nativitate. Hinc est, quòd eius subiectioni assentiri non valeo, nisi expressè adversando Lugdunensi generali* Concilio, *recepto, & observato per annos* 400. *confirmato pluribus* Regum *edictis præcipuè Henrici M. ac gloriosæ memoriæ patris tui. Accedit quòd datâ* Re galiâ *in hac Ecclesiâ, opus evanesceret* Reformationis, *tam fœliciter inceptum in exequutionem* Bulle *Alex. VII. Reformationem mandantis huius Capituli ità exigente per literas Maiestate Tuâ. Non enim verisimile, ut à Regalistis promoti velint hic residere prævia Novitiatu, & in communi vivere, quemadmodùm ex divinâ misericordiâ hic observatur. Si enim boni viri, quos huc vocavit providentia Superna, cogantur deserere professionem suam, cum votorum præiudicio, & salutis discrimine, ut aliis beneficia permittant, Cultus cessabit divinus in hac Ecclesiâ, quæ suis ordinata regulis, à Congregatione minimè pendet* S. Genevesæ. *Sicut verò nil est in Mundo, quod me subtrahere valeat à fidelitate, & obedientiâ, quam debeo M. T. ita humiliter rogo, considerare dignetur, primum testimonium fidelitatis ergà Regem, obsequium esse ergà Deum. Nemo enim fidelis est Principi, qui infidelis est Deo. Cessabo nunquàm preces, & sacrificia mea afferre divinæ Bonitati, quod semper feci, ut dona sua in* Te *plus semper exuberet, &* Domum *Realem, cuius animi submissione, & obsequio sum.*

*Humilliss. Obedientiss. Fideliss. Servus*

*Franciscus Ep. Appamiensis.*

29 Iunii 1677.

Die 12. Iulii An. 1677. *Io: Georgius Travesier de Rodeille* acceptâ possessione Canonicatus Electensis in Regaliam cum spolio titulari, qui per triennium pacificè possederat Canonicatum, spretâ admonitione Episcopali venit in Chorum, ubi Horas Canonicas capitulariter canebat Episcopus; quo silentium imponente sub poenâ anathematis, *Rodellæ* secessit. Casus contigit non dissimilis XII. Iulii.

Serpebat interim nova cōtroversia inter novos Casuistas, pro quorū extirpādis erroribus, cū crederēt Episcopi interponēdā esse auctoritatē supremā Romani Pōtificis, Epistolam conscripserunt ab Episcopis subscribendam, licèt insubscripta pervenerit ad Romanum Pontificem; quòd Rex timens nova dissidia, ad declinandam seditionem, eam nō crederet opportunā.

Epistola ad Innoc. XI. de profligandis erroribus Casuistarum.

*Beatissime Pater Etsi hæc Epistola exponēdis Sāctitati Vestræ gravissimis Ecclesiæ vulneribus instituta, in tristi, & luctuoso argumento tota versabitur; par est tamen, ut in ius limine, debita Deo optimo maximo gratiarum actione fungamur, & nobismetipsis gratulemur, quòd Sanctitate Vestrâ in Apostolicâ Sede constitutâ, iam habeamus apud quem questus, & gemitus nostros liberè, nec inaniter effundere possumus. Hac fiducia freti, Beatissime* Pater, *de Gallicana Ecclesiæ morbis cū Ipsâ agere decrevimus, quorum summam, ne multis moremur, ita breviter complecti licet.*

*Cum duabus potissimum rebus contineatur Christianorum salus, fidei dogmatum sinceritate, & integritate morum; variè iam indè ab Ecclesiæ primordiis, utraque tum dæmonum fraude, tum hominum improbitate, tentata est; nunquàm tamen vel acriùs, vel astutiùs, quàm novissimis istis miserrimisque temporibus. Nam anteà sola demùm oppugnabatur apertè mysteriorum fides, nec moribus ferè aliunde periculum, quàm ex pravis exemplis, non autem ex dogmatum perversitate: atque ita errores fidei adversos facilè declinabant quicumquè ad columnam, firmamentumquè veritatis, hoc est Ecclesiæ authoritatem firmiter adhærescentes, ex eius placitis fidem suam metiebantur: nec malorum exemplorum vim ægrè frangebant, quibus cura erat ad bonorum vitam, & nondum hominum fallaciis obscuratam Evangelii normam attendere. Quamquàm autem à compluribus iam sæculis multa in populum Christianum vitia proruperint, superioribus tamen temporibus trepida adhuc, & male sibi conscia, formidinis aliquid, & pudoris præ se ferebant. Ita cum in scelera prolaberentur multi, nulli tamen palam scelera defendebant.*

*Nunc verè,* Beatissime *Pater, tetrior multò, ac perniciosior lues* Ecclesiam *invasit. Augescenti enim in dies improborum multitudini adiunxit se certorum Scriptorum, ut mitissimè loquamur, improvida temeritas, quibus id demum videtur fuisse propositum, fovere hominum cupiditates, extinguere conscientiæ morsus, deferendi peccati stimulos evellere, iter ad vitia sternere, eadem peccatis, quæ virtutibus, tenebris, quæ luci, falsitati, quæ veritati, iura tribuere; sceleribus deniquè formidinem, pudorem, infamiam, ipsum sceleris nomen detrahere.*

*Nec veremur, Beatissime Pater, nè nos in hoc studia efferri ac veritatis metas prætergredi iudicet Sanctitas Vestra, postquàm perspexerit quæ & quanta sit earum opinionum corruptela, quæ tanquam pura, ac secura ab istis Authoribus traduntur, & Christianis invehuntur. Cohorrescet, sat scimus, ad infandorum dogmatum inauditam absurditatem Apostolica Vestra Pietas, & talia Catholicis, iisque litteratis in mentem venire potuisse, vix Ipsa prima fronte credet. Sed eò tamen caliginis prolapsos illos, ac devolutas esse minus fortasse mirabitur, si quo animo instructi, quibus præiudiciis imbuti, ad excutiendas*

morum regulas accesserint, attentè cogitare dignetur.

Enimvero, ut Sanctitati Vestræ notissimum est, non eâ, quam passim in quibusdam nuperis scriptoribus animadvertere est, levitate, & temeritate, morum doctrinâ olim ab antiquis tradebatur; sed longè graviùs, cautiùs, severiùs. Cum enim illis persuasum esset, quod est à S. Thomâ verissimè, ac prudentissimè dictum; Omnem quæstionem in quâ de peccato mortali agitur, periculosè determinari, quia error, quo non creditur peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto: nemo eum tanto periculo de moribus sententiam ferre, aut opinationes suas in vulgus spargere properabat. Itaquè illi, quos vocant conscientiæ casus, non ab aliis ferè quam ab Episcopis, & plerumquè in Provincialibus Synodis definiebantur; ex quorum sensibus consilia sua moderabantur inferiores Sacerdotes: super gravioribus autem difficultatibus Episcopi sedem Apostolicam persæpè consulebant, quæ consultationes tot eximia nobis Summorum Pontificum responsa pepererunt.

At gliscente ingeniorum licentiâ cautiones istas nihil morati complures recentiores Theologi, omnia audacter definire cœperunt; idquè quò securiùs facerent, illud in primis amoliri periculum studuerunt, quod ex inveniendi veri difficultate nascitur. Eam ad rem opportunissimum ipsis visum est, veritatem, ac falsitatem, ignorantiam, atque cognitionem divinæ legis, pari securitate donare. Quid enim hoc posito in definiendis morum controversiis, & in sequendis Theologorum responsis periculosum esse potest? Ergo ut id conficerent, tametsi antiqui omnes Theologi Patrum vestigia secuti, nullam primorum, & immutabilium legis æternæ principiorum ignorantiam invincibilem esse, & à peccato quemquam excusari maximo consensu statuissent: isti contrario planè decreto fidenter asseruerunt, in istis æternæ, & immutabilis legis principiis ejusmodi ignorantiam dari posse, quæ & vinci nequeat, & à peccato legis divinæ violatores eximat.

Hoc decreto semel ab ipsis stabilito, & fixo, ut latiùs pateret illa legis divinæ sine peccato violandæ venia, & facultas, de augendo eorum numero, qui veritatem invincibiliter ignorant sedulò laborarunt; atquè in eorum classem statim retulerunt eos omnes, quibus in aliquâ quæstione non certa veritas affulget, sed rationes tantùm utrinquè probabiles. Quamvis enim nemini in eo statu posito desit inveniendæ veritatis via, si modo quæ veritatis ignaris, & sapientia indigentibus, tum Scriptura, tum recta ratio præcipit, obire non refugiat; istis tamen placuit ignorantiam in illis invincibilem agnoscere, atquè adeò generali decreto probabilem opinionem, tametsi falsam, & æternæ legi contrariam, sequentibus, plenam à peccato immunitatem largiti sunt. Imò ut vaga illa, & promiscua, quam optabant, probabilia consectandi libertas, nullis limitibus arctaretur, etiam iis, qui probabilibus utrinquè opinionibus ita distrahuntur, ut tamen alteram simul, & probabiliorem, & tutiorem judicent, sententiâ simul & minùs probabilis, & minus tutæ sequendæ plenam veniam concesserunt.

Nihil ad omnem opinandi licentiam supererat, nisi ut id efficerent, probabilitates istas securitate donatas, nusquàm non facilè reperiri; quod egregiè præstiterunt, tum qui ad benè agendum, & extrà culpam, sufficere dixerunt quantumvis tenuem, & dilutam probabilitatem, etiam eã, quæ nonnisi probabiliter probabilis sit; tum qui ad conciliandam opinionibus probabilitatem, satis esse volue-

A runt quatuor, imò unius Doctoris authoritatem; quod ita certum est apud ipsos, ut qui sententiæ quatuor doctorum suffragiis nixæ probabilitatẽ abroget, eum tardum, & hebetem dicant; imò tam repugnantia loqui contendant, quàm qui lineæ longitudinem neget, & superficiei latitudinem. Hinc si quis Episcopus aliquam propositionem damnet, quam simul nonnullorum doctorum esse fateatur, continuò ipsum tanquàm doctrinæ expertem, imò & veri discendi incapacem traducunt, ejusquè decreta contemnunt, ac ludibrio habent.

His decretis instructi novitii illi Doctores, mirum prorsùs, Beatissime Pater, quas in morum doctrina strages ediderint, quas tenebras clarissimis Dei legibus offuderint, quot nova, & inaudita protulerint, quàm multa omnibus retrò sæculis fixa, & immota convulserint. Nec id imprudentibus ipsis, invitisquè factum: ultro id ipsi fatentur, agnoscunt, prædicant, & quasi summum Dei in
B Christianos beneficium jactant. Dum videmus, aiunt, tot diversas sententias in rebus moralibus circumferri, Divinam remur providentiam folgurare; quia ex opinionum varietate jugum Christi suaviùs sustinetur: melius enim viatori plures vias exponi, quàm unam; cùm recta inveniri actio possit, sivè juxta unã, sivè juxtà alteram opinionem homines operentur. Hoc verò quid aliud est, nisi summum Dei beneficium dicere, quod Casuistarum industria, veritas in multis divinæ legis capitibus obscurata sit: cum, cognitâ veritate, una sit via omnibus necessariò instituenda; latente verò & probabilitatum tenebris obtectâ, tot diversæ nec minus securæ suppetant viæ, quot probabilitates?

Quid igitur sperandum erat, Beatissime Pater, ab hominibus præ luce tenebras diligentibus, nec modò veritatem non optantibus, aut quærentibus, sed de ejus ignora-
C tione sibi plaudentibus, eam summi beneficii loco habentibus, atquè id pro totius moralis suæ Theologiæ basi constituentibus; nisi ut in optatas sibi tenebras altissimè devolverentur, ut omnia miscerent, ut inaudita parerent opinionum monstra? Nec spes ista, seu metus potiùs eventus frustratus est: undiquè enim infelici proventu tàm horrenda morum dogmata proruperunt, ut non aliundè meliùs intelligi possit quantum in ipsis primariis illis dogmatibus veneni insit, ex quibus tàm virulenti rivi defluxerunt.

Hoc illud est, Beatissime Pater, gravissimum & luctuosissimum Ecclesiæ malum, quod bonos omnes jam diù acerrimo dolore torquet. Haccine, aiunt, illa Christiana doctrinæ sanctitas, & integritas, quæ Philosophos admiratione defixit, quæ plures ad fidem Ethnicos adduxit, quàm ipse miraculorum fulgor? Haccine Scribarum, & Pharisæorum justitiam supergressa Christianorum pie-
D tas? Adeonè rem redisse, ut istis doctoribus tametsi Catholicis, nulli deteriùs, corruptiusquè de moribus senserint, non Scribæ, non Pharisæi, non ulli gentiles? Quis enim tot unquàm cavillationes ad Dei leges eludendas excogitavit, quis plus cupiditatibus indulsit, quis hominum societati exitiatiora dogmata commentus est, quis denuò veritati minus studuit?

Ergo cum tantam perniciem, tantumquè dedecus tacitè ferre nec Belgica, nec Gallicana Ecclesia posset, de E
Casuistarum licentiâ comprimenda aliquot abhinc annis seriò cogitare Episcopi cœperunt. Optassent quidem illi noxios libros penitùs abolere, quod olim in pœnitentiales quosdam libellos erroribus refertos à Galliæ Episcopis in Concilio tùm Cabillonensi secundo, tùm Pari-

Digitized by Google

*visiensi sexto noverant constitutum. Sed quia intermisso iam provincialium Synodorum usu, separatim quisque grassanti se pesti opponere coactus fuit, satis habuerunt singuli ab illa gregem sibi subditum vendicare. Quod ut præstarent, alii istarum corruptelarum collectionem à Casuistarum Apologistà consarcinatam generali censurà damnarunt; alii distinctis etiam notis affecerunt certa capita, quorum venenum præsentius, populisque magis timendum iudicabant. Nec piis ipsorum conatibus Romana Ecclesia defuit auxilium. Nam Alexander VII. Pontifex Maximus delatam ad se Casuistarum Apologiam proscripsit, & quadraginta quinque propositiones ex variis Casuistis excerptas duabus Constitutionibus confixit. Et quid de totà hac fruticantium in dies laxarum opinionum licentià sentiret luculenter Orbi Christiano declaravit; dum magno sibi mærori esse significavit,* cōplures opiniones Christianæ doctrinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis crescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Evangelicà simplicitate, ac Sanctorum Patrum doctrinà, quem si pro rectà regulà fideles in praxi sequerentur, ingens sequeretur Christianæ vitæ corruptela. *Quibus verbis cum pravis illis morum decretis, ipsum quoque undè fluxerant, probabilitatis dogma perstringit, & damnat.*

*Verum si liberè apud amantissimum Patrem, simpliciterquè loquendum est, tametsi ex istis variorum Episcoporum censuris, sanctisque Summi Pontificis Constitutionibus adversus laxiores Casuistas, religiosiores quique, & doctiores utcumque habeant quod sequantur; non habent tamen simpliciores, quo verum à falso satis in his concertationibus internoscant: nec in hæc dogmata proniores, quo satis ab ipsis revocentur; nec hi doctrina flagitiis infecti, quò satis fortiter coerceantur. Nam censuras quidem Episcoporum scriptores illi, eorumquè fautores facilè contemnunt, dum in iis versantur locis, quæ eorum iurisdictioni non parent, atquè indè & ipsis Episcopis contumelias ingerunt, & decretis suis non difficilè sui similes patronos inveniunt. Nec desunt illis quoque artes, quibus ipsam Summi Pontificis censuram eludant. Nam præterquàm quòd Alexander VII. certas tantum doctrinæ labes ad specimen ex ipsorum libris colligi curavit, pluresque intactas prætermisit, quæ res ipsis gloriandi ansam præbuit, probatum Summo Pontifici fuisse quidquid ab ipso non esset expressè damnatum; ipsa quoque censuræ verba illorum effugiis, & cavillationibus patent. Cum enim propositiones non alià certà, & determinatà notà, quàm scandali affectæ sint, promptum erit hominibus in cavillando exercitatissimis illud obtendere, falsitatis minimè damnari sententias, quæ tantum scandalosæ perhibentur; neque ipsis adeo suam probabilitatem abiudicari, quà exui, ex ipsorum placitis, aliter non possunt, quàm si contrarium transeat in articulum fidei: nihil igitur obstare, quin remoto scandalo, scandalosis opinionibus, sed nihilominus probabilibus, pro libito quisque utatur, & ex iis mores suos dirigat. Quamobrem post Episcoporum iudicia, & Apostolicas Alexandri VII. Constitutiones nihil quidquam de confidentià remiserunt: imò decretis suis eò audaciùs serere perstiterunt, quò clanguisse iam putant Episcoporum zelum, seque adeò imposterùm omni iam periculo defunctos.*

A *Huius ergo mali tam contumacis natura nos adduxit, Beatissime Pater, ut frustrà huic propulsando impensis hacusquè curis, ac laboribus nostris, ad Sanctitatis Vestræ præsidium confugeremus, hac spe freti fore ut Supremæ suæ Authoritatis eminentia nostros conatus adiuvet, sparsamque per universam Ecclesiam pestem eà potestate recidat, quà universam Ecclesiam moderatur, ac regit. Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ ad Sanctitatis Vestræ, ac Sedis Apostolicæ iudicium, prout sacris canonibus circa Maiores Causas, gravioraque negocia cautum est, referenda putavimus; exemplum secuti complurium veterum Episcoporum, & Conciliorum, præsertimquè Africanorum Patrum. Quà in re non modo nostros de Ecclesiæ malis, eorumquè remediis sensus Beatitudo Vestra poterit agnoscere; sed nostram insuper in Petri Cathedram, & in se privatim reverentiam, & obsequium, plenamquè in Ipsius zelo, pietate, & charitate fiduciam: quà magis, ac magis* B *in dies animati, assiduas pro eius diuturna incolumitate, & æterna fœlicitate Deo Optimo Maximo preces ardenter adhibemus.*

Occasio hinc inter Clerum, & Regalistas gravioris dissidii; undè exeunte Iulio P. Vacuelius Canonicus Theologalis Electensis 5. Augusti missus est in exiliū; Episcopus autem Electensis sequenti epistolà Romanum imploravit Pontificem.

*Beatissime Pater. Præstitum ab humilitate nostrà, Vestræ in Petri Cathedram exaltationi, gratulationis, ac devotionis officium benignè adeò, & peramanter excepit Sanctitas Vestra, at hoc ipso animatus maiori cum fiduciá iterum ad Illam de gravissimis Ecclesiæ Gallicanæ malis, nec nisi ab Apostolicà authoritate, & charitate sublevandis, scribere instituerim. Quid epistolæ à pluribus huiusce regni Episcopis ad Sedem Apostolicam de perversis recentiorum Casuistarum dogmatibus destinatæ nuper acciderit, iam, credo, Beatissime Pater, Sanctitas* C *Vestra, tùm sui apud Christianissimum Regem Nuncii relatione, tùm aliorum fortè querelis inaudivit. Quà de re pluribus hic agere minimè opus fuerit, cùm universam historiæ seriem harum dator literarum, auribus vestris referre poterit. Sane vulnus istud Episcopali dignitati inflictum, Beatissime Pater, sentiet, & graviter nobiscum feret Charitas Vestra omnium Ecclesiarum sollicitudine anxia, & ad Episcoporum voces eo propensiùs sese inclinabit, quò eas indignissimis modis, & artibus interclusas fuisse perspexerit. Nec verò alienis egebat hortatoribus Beatitudo vestra ad Ethicæ Christianæ corruptores cohibendos. Sat illam stimulat morum instituendorum, & disciplinæ in melius informandæ zelus à familiarissimis sibi sacræ Synodi Tridentinæ decretis, domesticoque Sancti Caroli exemplo excitatus. Vnde planè confidimus fore ut omnes illas doctrinæ corruptelas tantò districtiùs configat, quantò eas à fautoribus audaciùs disse-* D *minari intellexerit. Dolore siquidem, imo & indignatione afficietur Sanctitas Vestra, Beatissime Pater, in tãtùm illos Christianissimi Regis Religioni obrepsisse, ut quæsitis coloribus nostrum de scribenda ad Sedem Apostolicam epistolà consilium criminis verterint, episcoposque, abrogato iampridem, contra fas omne, provincialium Synodorum usu, etiam de rebus Ecclesiasticis inter se communicandi, & ad Sedem Apostolicam communi nomine referendi antiquo, & præcipuo iure interdicere tentaverint. Quod quid est aliud, Beatissime Pater, quàm Ecclesiastici regiminis à Christo Domino instituti, & omnium retrò sæculorum usu comprobati formam pessum-*

*dare, animi per totum orbem Episcopatus vinculum solvere, & ipsius, quo Romana gaudet Ecclesia, Primatus iura convelleret? Nova hæc & hucusque apud nos inaudita, minùs tamen quis fortasse mirabitur, si frequentes, & penè quotidianas in Ecclesiæ libertatem molitiones attenderit, quibus aulici homines Ecclesiasticæ disciplinæ, & doctrinæ causas, sæcularibus magistratibus, ac regiæ potestati addicere conantur. Harum dator literarum plura tum verbis, tum etiam scripto proferet, quibus Sanctitas Vestra, quę, & quanta in Ecclesiastici ordinis labem quotidiè gerantur, intelliget. Inter alia verò, Beatissime Pater, turbas occasione iuris, ut vocant, Regaliæ, huic nostræ diœcesi invectas addiscet Sanctitas Vestra; cuius iuris ultra antiquas metas extensione, aliquot abhinc annis, Narbonensis nostræ, & aliarum quatuor, aut quinque Ecclesiasticarum Provinciarum, & nonnullarum præterea diœceseon nativam, & canonicam libertatem evertere iidem aulici assentatores moliuntur. Equidem cùm edicto regio hac de re promulgato parere, conscientiâ prohibente, renuerim, præcipua nostræ diœcesis beneficia in Regaliâ, ut volunt, vacantia, per regium diploma, pleno iure, pulsis legitimis, & pacificis possessoribus, collata sunt: quod etiam in Appamiensi diœcesi, & fortè aliis quibusdam, sicubi Episcopi non paruere edicto, factum est. Cùm autem, Beatissime Pater, ex decreto Concilii generalis Lugdunensis secundi, quod incipit,* Generali constitutione, *& pro solemni Sacramento à me in Episcopali consecratione præstito, iura, & libertatē Ecclesiæ mihi commissæ per censuras Ecclesiasticas tueri vellem; eò res adducta est, ut duorum Ecclesiæ Cathedralis Canonicorum è familiaribus nostris, Archidiaconi scilicet, & Promotoris, indictâ per sigilli regii literas relegatione, uno abhinc anno mulctatus fuerim. Et ecce mihi hanc epistolam meditanti, & præ manibus habenti nova advenit mulcta, nova orbitas; dum simili iussione longè amandatur Canonicus noster Theologus, quem in priorum locum suffeceram, & in ministeriis Episcopalis subsidium lateri meo adsciveram. Imo & mihi eadem sors iam hinc à priore anno impendebat, adversariis Ecclesiæ regiam authoritatem ad id enixè sollicitantibus, nisi eorum consilium nativâ suâ æquitate, & moderatione Christianissimus Rex posthabuisset. Sed de hoc quantumcumque gravi negocio plura Sanctitati Vestræ proloqui supersedeo, tùm ne longiori privatæ calamitatis querimoniâ molestus fiam, tum quia huius vexationis adhuc vigētis acta à nobis transmissa, quo pacto res tota gesta sit, declarabunt. Itaque, Beatissime Pater, ad corrupta morum dogmata redeo, quod malum latiùs patet, & plerisque animabus adhuc nocentius est. Huic curando quantum ab initio Pontificatus studium Sanctitas Vestra adhibuerit, universi norunt: quod ut ipsa brevi assequeretur, nihil demum utilius aut promptius occurrit, quàm ut præcipua laxioris doctrinæ capita, iamdudum à plerisquè Ecclesiæ Gallicanæ Præsulibus in famoso Casuistarum Apologista damnata, iterum ad eorumdem Episcoporum relationem, à Sede Apostolicà solemni decreto damnentur. Id autem ut ad optatum exitum, obsistentibus licèt Casuisticę corruptelæ patronis, perducatur, optamus, vovemusque. Verum, Beatissime Pater, rerum nostrarum experimentis edoctus, & paternâ Vestrâ benignitate fretus ausim dicere, nihil penè in damnandis Casuistarum erroribus opera pretii fore, nisi eadē Vestra Authoritate Iansenianæ hæreseos phantasma, quo iamdiu plurimi in his partibus ludificantur, evanescat. Confidentius fortasse quis hoc dictum existimaverit: verissimum tamen est, Beatissime Pater, & nobis res cominùs intuentibus quotidianâ experientiâ certissimum. Nam Apostolicas Constitutiones prædecessorum vestrorum Innocentii X. & Alexandri VII. submissâ omnes mente accipiunt: nec ullus est, qui cum Ecclesiâ Romanâ, & Catholicâ perversos, atque hæreticos sensus in quinque propositionibus damnatis contentos non ex animo damnet, quod prædictarum Constitutionum præcipuum est caput: & in cæteris etiam nemo est, qui illis perpetuo Ecclesiæ usu debitam reverentiam non præstet. Id quod probè intellexit Clemens IX. Alexandri VII. successor, dum Galliæ Episcopis, ac Theologis iamdiù vexatis pacem tandem pro Apostolicâ sapientiâ, & æquitate concessit. Verum, Beatissime Pater, huius tam optatæ pacis fructum hactenus nobis invidit, & vanis artibus subripuit pertinax adversariorum factio, & imperitus, ac præposterus nonnullorum zelus. Iansenianæ siquidem hæreseos nomen prorsus iam vanum, & inane summo studio retinuerunt: nec illis præsentius, aut validius telum, quo se tueantur, & cuiuslibet ordinis homines sibi adversantes disturbent. Hac futili accusatione sanctiorem quamque de moribus doctrinam exsufflant, viros pietate, & doctrinâ præstantes traducunt, atque Ecclesiæ ministeriis submovent, non Theologos modo, sed Episcopos populis suspectos efficiunt, pios eorum labores, & saluberrima instauranda disciplinæ consilia intervertunt, libros informandis moribus aptissimos fidelium manibus excutiunt, omnem denique instituendæ Christianorum vitæ, & ad normam Evangelii componendæ viam occludunt. Illud verò, Beatissime Pater, summoperè animadvertendum est, non solum huius fictitiæ hæreseos prætextu grassantem ubique morum corruptelam foveri, sed fidei quoque solidissima dogmata convelli. Quis enim non doleat castissimam, & saluberrimam sanctorum Augustini, & Thomæ de gratuitâ Dei prædestinatione, & gratiâ Christi ad singulos pietatis actus necessariâ doctrinam sub invidioso Iansenii nomine à plerisque repudiari, & tanquam erroneam, & hæreseos notâ dignam in cathedris, in pulpitis, in colloquiis traduci? Ista doctrina, quam à multis Pontificibus acriter assertam, ac vindicatam hæreditario quasi iure Ecclesia possidet, ut aiebat doctissimus Clemens Papa Octavus, passim hodie conculcatur: Ista dogmata, quæ inconcussa, tutissimaquè nuncupavit Alexander VII. temerario ausu à multis impetuntur. En, Beatissime Pater, Ecclesiæ Gallicanę vario morborum genere laborantis status brevi Sanctitatis Vestræ oculis delineatus. Solet quidem ægrotantium dolor multas medendi artes excogitare, sed non omnes æquè commodas, & utiles. Unde satius erit, patefactis iam nostris vulneribus totos nos Apostolicæ Vestræ charitati, & prudentiæ committere: nisi fortè etiam nostros eâ de re sensus cognoscere Vestra Sanctitas opportunum duxerit. Certè fausta omnia à Vestrâ Beatitudine expectamus, maximè pro tuendis divinæ Gratiæ dogmatibus, pro stabiliendis Ethicæ Christianæ regulis, pro sanciendâ veteri, & canonicâ Ecclesiarum libertate. Hæret enim cordi eius impressa hæc unius ex suis decessoribus sententia:* Optamus, si fieri potest, in diebus nostris Apostolicam fidem, & Ecclesiæ regulas cum subiectis nobis populis custodire, & omnem novam doctrinam sopire. *Equidem, Beatissime Pater, eò ætatis provectus sum, ut hæc antequam moriar, in Ecclesiâ videndi vix spes supersit: peregrinationis tamen meę cursum iam maiori cum alacritate, pontificatus vestri specie recreatus, & confirmatus persequor; quæ & quanta*

in

Digitized by Google

*in Ecclesiam universam bona Sanctitatis Vestræ opera diffundenda sint animo prospiciens: quod ut pro singulari suâ pietate, & ardenti zelo fructuosiùs præstare queas, diuturnam Ipsi Pontificatus administrationem exopto, & post hujus ævi labores cumulatissimam in* Cælo *felicitatem apprecor.*

*Sanctitatis Vestræ.*

Elect. die 30. Iulii 1677.

*Humillimus & obsequentissimus filius, & servus*
*Nicolaus Ep. Electensis.*

Respondit Papa.

Innocentius XI.

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Susceptam à nobis de pastorali in Electensi* Ecclesiâ *regendâ, ac* Ecclesiasticâ *disciplinâ instaurandâ Fraternitatis tuæ zelo opinionem mirificè confirmarunt Literæ, quas 30. Iulii ad nos dedisti. Iis enim refertæ sunt cùm pii, tùm vigilantis animi sensibus, ut nullum nobis de eo dubitandi locum relinquant. Pro comperto autem te habere volumus, religiosis studiis tuis constanti nos præsidio, atquè authoritate affuturos, libenterquè occasiones omnes amplexuros ex quibus propensam ergà te voluntatem nostram agnoscere valeas. Quod attinet ad ea, quæ fusè nobis tum per literas, tum per earum exhibitorem significasti, tanti profectò momenti sunt, iisque implicata difficultatibus, ut diligenti, & maturâ discussione prorsùs indigeant. Pro muneris itaque nostri debito accuratè eadem examinari mandabimus, illudquè super his consilium capiemus, quod in Domino expedire iudicaverimus. Assiduis interim apud supremum Patrem luminum iuvari precibus vehementer à te petimus, dum nos dilectionis nostræ pignus Fraternitati tuæ* Apostolicam *benedictionem peramanter impertimur.*

19. *Septemb.* 1677.

Convenerant Regalistæ cum *Iosepho de Montpesat de Carbon* Archiep. Tholosano, ut per viam appellationis Beneficiati promoti à Regalistis, & sub pœnâ excommunicationis reiecti ab Episcopo Appamiensi, Metropolitam invocarent; qui 1. Septemb. 1677. nullitatis in favorem appellantium, nullum declaravit decretum dictorum Episcoporum: causas inserendo; 1. *quia decretum Episcoporum adversaretur Regis edicto in contradictorio emanato, auditis partibus Cleri, & Regalistarum.* 2. *Quia Episcopus sensum non agnovisset Lugdunensis Concilii, in quo protestatur fundare opinionem suam. Glossa enim in verbo* Regalia, *explicando ius Regaliæ, dicit Concilium intelligi de* Novis tributis, novis vectigalibus, novis collectis, & similibus. *Quando autem* Regaliæ *nomen potest intelligi secundum significationem, quæ est in quæstione, certum est, quòd Concilium prohibet solùm* Novam Regaliam: *quæ tamen in* Ecclesiâ *Narbonensi ad Regem spectat à die fundationis ipsius* Episcopatus, *licèt Reges quandoquè exigere neglexerint, sinè tamen coronæ præiudicio, cum ius Regaliæ sit imperscriptibile. Hinc est, quòd censura publicata ab* Episcopo *Appamiensi nulla sunt, nec valent, quàm ad concitandos subditos Regis. Quòd autem beneficia Cathedralis Appamiensis sint Regularia: D. verò Paucetus sacerdos sit secularis, non obstat D. Pauceto; Regula namque est, Sacerdotem secularem posse promoveri ad Beneficium Regulare cum clausulâ,* Cupiens profiteri, *quæ etiam adiecta fuit in promotione dicti Pauceti. Hunc morem servari videmus quotidiè dum secularibus Rex Regulares indulget Abbatias. Cassatâ ergo, & reiectâ Appamiensi ordinatione tanquàm adversâ legibus Regni; tenetur Capitulum permittere stallum in choro, sedem in Capitulo dicto Pauceto, qui habitum induet* Regularem, *& professionem emittet iuxtà regulas* Ecclesiasticas, *&c. Cessabit Episcopus in posterum à similibus ordinationibus seditiosis, & adversis iudicio* Regio. *Constans namquè sententia apud* Gallos *est; omne quod fit contra Regis edicta esse* attentatum, *&c.*

*Ioseph de Montpesat Archiep. Tolosanus.*

Iudicium hoc Archiepiscopi Tholosani, appellatione interpositâ die 18. Octob. 1677. Appamiensis infringere ducens, coram Notario protestatus est non licere acquiescere iudicio supradicto.

1. Quia de jure naturæ est, *nè Iudices sententiam proferant absente eo, cuius causa ventilatur, aliàs irrita sit.* Can. 22. Concil. Niceni 1. & in Decretal. *Venerabilibus de sent. Excom. in 6. Si Suffraganeus,* (ecce casus in terminis D. Pauceti) *vel contrà iudicium prò suorum defensione iurium, vel etiam in iudicio ex suo procedens officio iniurrendo videlicet, vel simile quid agendo, aliquem excommunicet, in hoc casu conveniendus est ipse suffraganeus coram Archiepiscopo, vel eius Officiali; quia ipsius interest defendere causam suam.* Necessarium fuisse vocari Appamiensem Ep. ipse fassus est Paucetus *Metropolitanum excusando nō teneri citare litigantes, quando* Metropolita *habet præ oculis repulsam factam à Suffraganeo, & eius iā repulsa.* 2. *Confundit Gratiam cum Iustitiâ; Iurisdictionem voluntariam, & cōtentiosam: Quando* Ecclesiastici *beneficium petunt à Curiâ* Romanâ, *vel executionem alicuius gratiæ, non est necesse citare partes. Secùs verò si* Episcopus, *vel* Metropolita *in petitorio alicuius* Beneficii *iudicium pronuntiaverit. Nec iuvat Paucetum, Appamiensem in edicto causas protulisse ordinationis suæ. Potest enim alias habere, undè nequit à iudicio repelli.*

3. *Iudicium Tholosanum est nullum ratione formæ, dum ordinationem Appamiensem adversam declarat legibus* Regni. *Ad eum nimirùm non spectat iudicare, an sit contraria legibus Regni.* Ecclesiastica *Iurisdictio fundatur in regulis* Ecclesiasticis; *& nemo dubitat Iudicium* Ecclesiasticum *nullum esse si pronuntietur secundùm leges Civiles.* Quòd *si minùs iusta etiam fuisset sententia Appamiensis; tenebatur Tholosanus saltem in gratiam dignitatis Episcopalis, eum paternè præmonere: tantò magis, quòd D.* Paucetus *falsò accuset Ep. Appamiensem, defuisse promissis Regi factis de exarando inter publica monumenta sacramentum fidelitatis; cum tamen de hac re nullum verbum cum* Rege *fuerit nec per se, nec per interpretem. Vota non assequutum Lugdunensis Concilii: reum esse* Maiestatis, *subditos ad seditionem excitando; ostendet se veritatem habere Concilii; de eius fidelitate ergà Regem, nemini cedere, quamvis in hoc non conveniat, ex solo timore offensæ divinæ, quæ primò præ oculis habenda, iuxtà illud Petri,* Deum timete, Regem honorificate. *Cæterum vinculum, quo adstringitur ad Regis obsequium est tàm insolubile, ut in* Rege *credat honorare Deum, qui tantis dotibus verè Regalibus Regem ditavit. Et hæc vera & sola causa fidelitatis, & obedientiæ.*

*Tholosanus accusat promotor* Appamiensi *ordinatione inquietari conscientias hominum, & ordinem* Ecclesiasticum; *verum forsàn, si de inquietudine agamus,*

quàm

Digitized by Google

*quam iustitia excitant, & veritas in animabus malè dispositis. Non enim Appamiensis excitat ad profanandos canones Ecclesiasticos, ad occupanda beneficia per viam surreptitiam; sed solùm ad observantiam Canonum, pœnas declarat antiquitùs inflictas, nec novas addidit. Pacem cum Tholosanus procuret, adversam Generali Concilio, dicent,* Pax, Pax, & non erat pax.

*Neque potest Archiepiscopus Episcopale Decretum promulgatum in obedientiam Concilii Generalis, solus suspendere absque provinciali Concilio, quemadmodum in ordine civili Iudex subalternus nequit cognoscere actus Officialis, si iste sit* merè executor *supremi iudicis*, nec excedat fines maudati. *Nec dicas spectare ad Archiepiscopum cognoscere, an sententia Episcopi sit Concilio conformis: sumus enim in claris, in quibus Appamiensis verba tantummodò Concilii transcripsit, in causà magni ponderis, non unius* Episcopatus, *sed totius Provinciæ, quæ* B *propterea audientiam exigit Synodi Provincialis.* Can. 9. Chalcedon. Concil.

*Censuras autem promulgatus ab Appamiensi nullas dicere, quia de Regalià non loquatur Lugdunense Concilium, attendite verba:* Generali constitutione sancimus universos, & singulos, qui Regalia, custodiam, sivè guardiam, advocationis, seù defensionis titulum in Ecclesiis, Monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcumquè dignitatis honore præfulgeant: Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem, qui hoc fieri procurant, eò ipsò excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Illos verò, qui se, ut deberēt, talia facientibus non opponuot, de proventibus Ecclesiarum, seù lo- C corum ipsorum pro tempore, quo præmissà sinè debità contradictione permiserint aliquid percipere districtiùs prohibemus. Qui autem ab ipsarum Ecclesiarū, cæterorumq. locorum fundatione, vel ex antiquà consuetudine jura hujusmodi sibi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos Ministros in eis sollicitè abstinere faciant, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, sivè redditus provenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent. *Audiamus pariter quid Glossa dicat.* Pro intellectu huius capitis præsupponendum est secundùm veriorem intellectum ipsius, quid propriè textus appeller Regalia. Quidam volebant dicere, quòd Regalia accipiantur prò iuribus Imperialibus, de quibus in lib. Feud. quæ sint Regalia; ut si Rex donaverit Regalia Eccle- D siæ, & aliquis illa usurpet, ipso facto est excommunicatus. Alii dicunt, quòd Regalia accipiuntur prò iuribus, quæ habet Princeps in aliquibus ecclesiis, videlicet quòd vacante aliquà Ecclesià, aliquis Comes, vel Dux, qui dicebat se habere iura Regaliç, in ipsà Ecclesià occupavit custodiam Ecclesiæ vacantis, & dicebat quòd fructus ipsius Ecclesiæ ad ipsum spectabant, licèt non fuisset usus ipso iure. *Quod autem ut vult Paucetus* Regaliæ *nomine intelligantur* nova tributa, nova vectigalia, novæ collectæ, *videndus Archidiaconus auctor istius Glossæ ità dicentis*: Regalia, *idest*, quæ capiunt Reges vacante Ecclesià, ut patet in Franciæ Regno, & Angliæ: nam illic vocan- A tur Regalia iura Regis quibusdam Ecclesiis vacantibus competentia. Ex *his etiam, quæ notat Glossa in verbo* custodiam, *satis intelligitur Lugdunense Concilium generaliter loqui de iuribus Ecclesiarum vacantium, nec solùm prohibuisse imponi nova tributa Ecclesiis exemptis; sed etiam nè iura usurpentur civilia, vel spiritualia, ut iura* Patronatus, *de quibus dixit:* Quocumque ergo nomine censeantur, usurpantes de novo tale ius in Ecclesiis, & aliis locis piis, & bona ipsorum locorum vacantium occupantes, excommunicati sunt.

*Adeò verum est, Concilium de Regalià loqui, quòd plures Galli scriptores, ut Rebuffus, Ruzeus, Magister, Bannius Iesuita,* Regaliam *principaliter fundari dixerint in hoc Concilio, cum antè Concilium, Regalia soli consuetudini inniteretur, teste Petro de Marcà. Hinc Philippus* Pulcher *An.* 1302. *Philippus de Valois An.* 1334. *Ludovicus XII. An.* 1499. *Henricus IV.* An. 1606. *Ludov. XIII.* An. 1629. *protestati sunt* Regalià frui solùm iuxtà morem antiquum, eam non extendendo ad Ecclesias non subiectas. *Provinciam verò Narbonensem immunem esse, & liberam, legantur literæ Philippi Pulchri,* Ann. 1603. *teste Petro de Marcà, in quibus legitur.* Nolumus, quod gentes nostræ occupent Regalia Ecclesiarum vacantium Provinciæ Narbonensis, *cuius membrum est* Appamiensis *Ecclesia.*

*Quòd autem* Diœcesis Appamiensis *nunquàm fuerit* Regal*iæ subiecta; dicam primo liberam præsumi, ni probetur subiecta. Veruntamen apochæ videantur Cameræ inter Cleri monumenta, & Gallicos Doctores Rusenm, Magistrum, Pasquierum, ex quibus Provincia patebit immunis.*

*Legatur iudicium Philippi III.* An. 1272. *apud Petrum de Marcà.* Sabbato post Ascensionem Domini restituta fuerunt apud Appamias, & reddita per Dominum Regem procuratoribus Capituli Albiensis Regalia Ecclesiæ Albiensis, quæ mortuo Episcopo Albiensi Senescallus Carcassonensis ad manum D. Regis cęperat, sinè causà, cum Dominus Rex super hoc nunquàm usus fuisset, prout ex aliorum, ac ipsius relatione fuit inventum.

*Quòd Rex iuxtà petitionem Cleri ad se evocaverit cognitionem huius causæ ad videndum, qualis Ecclesia sit exempta? nec nè? Hæc* Ep. Appamiensi, *non præiudicat; cum ipse nunquàm produxerit titulos suus, nec Cleri procuratoribus data sit unquàm facultas compromittendi.*

*Insuper* Bulla Alex. *VII. literis firmata Regiis expressè mandat beneficia Cathedralis Appamiensis solis Regularibus conferenda, qui professionem emiserint in dicto Capitulo, Novitiatu præmisso.* Cum *autem ius hoc singulare sit, non est verisimile, quòd illud per Regaliam Rex abrogare voluerit: quemadmodum nunquàm præiudicare creditur consuetudini, quæ dignitates* uni de gremio *permittit. Nullus autem censetur de gremio Capituli nisi post professionem emissam.*

*Iustum ergo cū esset ut* Archiep. *Tholosanus auscultaret Episcopum* Appamiensem, *priusquam contrà eius ordinationem procederet, nec fecerit; protestatur* D. Appamiensis *coram testibus, & Notario, quòd licet Tholosani iudicium nullum sit tamen sibi reservat coram Iudice competenti iudicium instruere, prout meliùs videbitur, &c.*

Archiep. Tholosani exemplum æmulatus D. *du*

*Mas*

Digitized by Google

*Mas* Vicarius, & Officialis Narbonensis, iudicio simili ordinationem damnavit Ep. Electensis, die 22. Septemb. cui per protestationem Appamiensi similem Electensis occurrere non duxit, propter inæqualitatem iudicis, novà tamen ordinatione primam confirmavit, protestando se ab eà minimè recedere. Publicata est solùmodo 22. Octob. quòd Episcopus apoplexià laboraret. Eàdem die literas dedit manu suà exaratas Cardinali *de Bonzii* Archiep. Narbonensi, rogans, nè pateretur à Vicario suo tam ignominiosè tractari Ordinem Episcopalem; indè epistolà circulari ad omnes Episcopos Narbonensis Provinciæ suã posteriorem transmisit ordinationem, excitando eos ad communem tutelam. Die 24. morbo cum laboraret extremo, magnà pietate sacramenta suscepit.

Interim Episcopus Appamiensis novà occasione Canonicatus à Regalistis collati, secundà ordinatione latà 27. Octob. priorem confirmans appellatione interpositâ contrà iudicium Archiep. Tholosani, declaravit in totum primam subsistere.

Decretum Archiepiscopi Tholosani cõtra Electensem

Ex adverso Cardinalis *de Bonzii*, ordinatione latà die 5. Novemb. 1677. non solum decretum confirmavit Vicarii sui, sed etiam declaravit Vicario Metropolitani ius esse super suffraganeos Episcopos, quòd Metropolitæ vicem gerat: undè dici possit quod olim Papa Episcopo; *Iudex à nobis delegatus vices nostras gerit, & in causà illà est superior, & maior illis, quorum causam suscipit terminandam*. Est enim idem tribunal, eadem auctoritas: propterea à Vicario ad Episcopum non appellatur; *Nè ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur*. Hinc est, quòd in tribunali pœnitentiario absolutio reservatorum criminum eodem modo ligat, & solvit apud Deum, tam si à Papà exerceatur, quàm à Delegato. Controversiam hanc absolvit iam Narbonense Provinciale Concilium An. 1430. Ità concordatum inter M. de Rebè Archiep. Narbonensem, & suos suffraganeos die 15. Novemb. 1642. ut ordinationes Episcoporum soli Metropolitano, vel Vicario subiacerent, nè recurrerent in ore Curialium. Sic Anno 1666. cum Clerus obtinuisset à Rege, ut sententiæ latæ ab Episcopis, appellatione interpositâ iudicarentur ab habentibus characterem Episcopalem; excepit Rex, ni Primates, Archiepiscopi essent absentes, quo casu iudicantur à Vicariis: Ab initio enim nascẽtis Ecclesiæ Presbyteri, quandoquè Diaconi tanquàm delegati præfuere Conciliis Generalibus cum iure suffragii iudicandi Episcopos, & Archiepiscopos: ex quibus patet querelam Electensis contrà Vicarios nostros magis præiudicare Episcopis, quàm Vicariis: sequeretur enim, quòd Episcopi non permitterentur mittere procuratores ad Concilia Generalia, in quibus forent Episcopi iudicandi. Quòd verò Vicarius ordinationem Electẽsis iudicare valuerit adversam legi Regni; patet, quià sicut Imperatores non dedignantur sacros Canones imitari; ita Canones non dedignantur legibus adiuvari. Electensem ordinationem declaravit Vicarius nõ solum Sacris adversam Canonibus, quorum lege, *Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo*; sed Gallicæ disciplinæ; nam Clerus Gallicanus decrevit implorandum esse Regem. Sic in generali Chalcedonensi Synodo, quæ controversiam inter Metropolitanum Tyri, & Episcopum Berythi suffraganeum, qui ex rescripto Theodosii Imperatoris se erexerat in Metropolitam, humiliter iudicandam remisit Imperatori Marciano, ut indè repararetur vulnus, undè erat inflictum. Sic M. Gregorius tum in suo Patriarchatu legem Imperatoris Mauritii publicari mandavit, eodem etiã tempore declaravit iniustam *Utrobiq. ergo* (dicens) *quæ debui exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & prò Deo quod sensi minimè tacui*. Irrationabilem iudicavit tandem; quia Electensis velit esse iudex in propriâ causà, cum damno rei iudicatæ per iudices legitimos. Clarè enim apparet, quòd Regem nostrum, cuius est publica præferre privatis, iudicem non credat legitimum, propterea eius iudicia sub Anno 1675. & 1678. semper prætereat, & solùm recenseat iudicia Henrici IV. & Ludovici XIII. Vicarius noster ordine inverso legitimo tamen, quia posteriora derogant prioribus, viso Regio decreto iure credidit iudicium Regaliæ non spectare ad Episcopum, sed ad Regem: declarando Episcopum Electensem abuti verbis Lugdunẽsis Concilii. Quo in casu minimè excedendo terminos Iurisdictionis suæ, si Suffraganeos citare potest ad provinciale Concilium, ut moris est, per verbum *Mandamus*; poterit etiam eorum ordinationes iudicare, iurisdictionem exercendo *Realem*, non *Personalem*. Quod autem Electensis Episcopus vocatus non fuerit; gratias agat, de honore suæ dignitati permisso. Cum autem fateatur & ipse super signatura gratiæ à Pontifice factæ non esse vocandum Episcopum; idem negare erubescat de Regis edicto. Hisce rationibus victi obedientiam præstabunt ordinationi Vicarii nostri contrà Ep. Electensem pacis perturbatorem, & usurpatorem iurisdictionis Metropolitæ sui, sub pœnà excommunicationis ipso facto incurrendæ, specialiter si Canonici quid adversum fuerint meditati. Prò reparatione autem attentati contrà Iurisdictionem nostram, convocabimus synodum Provincialem, ut de more Ep. Electensis legitimè citatus, & iudicatus pœnam subeat canonicam, &c.

Electẽsis Appellatio ad S. Sedem.

Hæc typis cum darentur, certior factus Cardinalis, quòd Episcopus Electensis animam traheret, totà noctè typos absolvi voluit, ut per cursorem intimari possent, priusquàm Electensis decederet. Ita factum die 6. Novembris. Electensis, quamvis morbo fatigaretur extremo, mandavit appellationem concipi *Ad S. Sedem*, quam proprià manu subscripsit 12. Novemb & per cursorem Narbonam missum significari, quem Archiepiscopus vinculis tradidit deficientis auctoritatis prætextu, undè opus fuit iterum significari.

Appellationi scripturã adiecit, in quà redarguens Narbonensem Archiepiscopum, *quòd desertà communi Episcoporum causà cum iniurià seniorum suffraganeorum, per ordinationem publicatam 5. Novemb. attentatum foveret Officialis sui, pœnas minando canonicas contrà Electensem Episcopum, ordinationem typis dando, ut magis dignitatem deprimeret Episcopalem, in quà iudici delegato comparando Vicarium, huic asserit auctoritatem cõpetere æqualẽ Archiepiscopo principali, quod falsũ. Officialis namq. exercẽs iurisdictionem ordinariam æquiparari nequit delegato. 2. Adducere Diaconos, qui Conciliis præfuerint, & Episcopos iudicaverint, non est ad rem; quia nunquàm soli Diaconi iudicarunt Episcopos, sed suffulti competenti Episcoporum numero: cum ex adverso in præsenti unicus presbyter seiunctus ab Episcopis Episcopum ia-*

iudicare, eiusque infringere decreta præsumat; cum tamen regula Canonica exigat, at causa Episcoporum non à delegatis, sed ab Archiepiscopis, vel Conciliis Provincialibus iudicentur, ut sæpè Episcopi Suffraganei Provinciæ Narbonensis conquesti sunt apud Regem: undè An. 1577. instantibus Episcopis Carnotensi, & aliis contrà Officiales Archiepiscopi Senonensis iudicatum, non teneri Episcopos respondere citationibus Officialium Archiepiscopi, nec Primatis, sed ipsi solùm Archiepiscopo. Plura alia decreta in favorem Episcoporum Noviodunensis, & Trecarum An. 1550. & 1553. memorat D. Lucas in suà collectione, cuius verba; Potest quidem Archiepiscopus Provincialem Episcopum in ius ad se vocari iubere, in eumque ius dicere; sed neque per Iuridicum, quem Officialem appellant, nequè per Vicarium quacumque præditum potestate Qui ergo? Sanè per semeripsum, & alios Provinciales Episcopos, quos in Concilio adhibere habet necesse: cuius contrarium cum Senonensis Archiep. in Nivernensem, & Trecensem Episcopos usurpasset, & ii abusum caulati provocassent, è forensi prælio superiores evaserunt. Constat ergò, quòd Archiepiscopus non poterat solus iudicare Episcopum Electensem, tantò minùs eius Officialis, non solùm ob ea, quæ leguntur in actibus Episcopi Appamiensis, nempè absque causa cognitione, & citatione partium iudicatum esse, quod expressè damnatur usu Ecclesiæ Universalis, & Sacrorum Canonum, ut videre est apud S. Gregorium lib. 7. ep. 62. & in Capitulari Adriani c. 22. & 26. iuxtà Concilium Aquæ Sextiæ An. 816. l. 1. c. 35. sed etiam, quod Archiep. Metropolitanus quamvis superior suffraganeis suis, eos tamen solus iudicare non permittitur præterquàm in causà Iurisdictionis; immò nec solus, sed synodum congregare tenetur iuxtà Antiochenum Concilium Ann. 341. c. 14. & Constantinopolitanum An. 382 & Capitulare Adriani c. 29. Quod verò similis appellatio sit abusiva, & insitata in Provincià Narbonensi, ut falsò asserit Archiep Narbon. facilè redarguitur ex praxi quotidianà. Dissentit pariter Electensis Episcopus Archiepiscopo, eiusque Vicario asserentibus ordinationem Electensis adversari legi Regni observatæ in Ecclesià Gallicanà, legi illi scilicet, quæ ab aulà transiit in Ecclesiam. Qualis autem fuerit lex illa, quæ violata dicitur, ignoratur. Nulla enim lex civilis, vel ecclesiastica, quæ Episcopis prohibeat claram facere Ecclesiasticis, anathema eos subiisse ob violata decreta Concilii Æcumenici; quod tamen Electensis declarare distulit, donec Ann. 1675. excitatus comitiis Ecclesiasticis Parisiis congregatis, nec non Archiep. Narbonensi, ut Regi exponeretur gravamen, datis literis ad ipsum Regem, sed omnia frustrà; ne suo deficeret ministerio, & Concilio adversaretur Æcumenico, iuxta canonem pronuntiavit. Obiicienti verò Narbonensi Archiepiscopo declarationem à Rege factam, respondet Electensis non esse à iudice legitimo. Spiritualia namque Regi acquiri nequeunt, nisi per legem factam ab Ecclesià; vel per possessionem antiquam, ex quà præsumere liceat, Ecclesiam tacitè consensisse. Cum ergo utrumquè deficiat, & sola supersit Regis declaratio, hæc minimè possessionem induxit, sed tantùm exprimit Principis voluntatem. Clerus etiam Gallicanus minimè acquievit Iurisdictioni aulicæ, quoad cognitionem Iurisdictionis, sed solùm quoad particularia dissidia inter promotos iure Regaliæ, & possessores Beneficiorum, ut patet ex recursu Cleri ad Henricum IV. Et

A Ludovicum XIII. contra Arrestum Parlamenti sub Anno 1608. quod abundè monstravit Electensis epistolà suà, 6. Iunii, 1676.

Obiicienti tandem Narbonensi Archiepiscopo, quòd eius Vicarius possit iudicare collationem obtentam in Curià Romanà, & non admissam ab Ordinario, undè tantò magis iudicare valeat collationem factam ab inferiori; Respondet Electensis, ad Vicarium Metropolitanum pertinere quidem iudicium qualitatum personalium in promotis; secùs autem de iure collationis; quo sensu Episcopus defensor est naturalis Ecclesiæ suæ. Aliàs facile esset Principibus expoliare Ecclesias omnes iuribus suis; si officialium essent subiecta iudicio, & permitterentur inauditæ iudicari. Hisce adductis rationibus Episcopus Electensis protestatur in appellatione persistere ad S. Sedem Apostolicam, & nullas dicere ordinationes Vicarii Metropolitani, quà stante, executioni dabitur
B Decretum sub 5. Martii, & 7. Octob. 1676. donec per D. N. Papam, & Sedem Apostolicam aliter ordinetur.

Die tandem 25 Octob. 10. morbi, duas epistolas scripsit Pontifici, & Regi rogando, ut etiam post mortem, quæ proxima erat, mitterentur. In epistolà ad Papam, libertatem à Regalià suæ commendat Ecclesiæ; & Rituale suum, quod Romæ sedente Clemente IX. prohibitum fuerat, diligentiùs observaretur.

Tertia Epistola Episcopi Electensis ad Innocentium XI. R. P.

In hac confectà ætatis, & affectionis paralyticæ sinistram corporis partem occupantis invalescente ægritudine arctissimam meam cum Apostolicà Sede communionem, & singularem erga Pontificatum Sanctitatis Vestræ reverentiam, & devotionem hoc monimento testatam volui: simul & extremæ Ecclesiæ mihi commissæ amoris officia exhibere satagens, ad authoritatem, & tu-
C telam vestram, quà maximè modò indiget, confugio. Nativam illius, & perpetuam à Regalia iure immunitatem, quà illa cum totà Provincià Ecclesiasticà Narbonensi, & aliis quibusdam communis est, iuxta Concilii generalis Lugdunensis Constitutionem pro parte meà huiusque tuitus sum. At ea novo, & insolito Regaliæ iuri post discessum meum iam instantem penitus subiectam iri prospicio, nisi intercessione summæ Vestræ Authoritatis apud Christianissimum Regem ab eiusmodi iugo vindicetur. Quare hoc unum restat, Beatissime Pater, ut ipsam in eàdem libertate, & immunitate cum quà quadraginta abhinc annis eam suscepi, Beatitudini Vestræ custodiendam commendem. Est & aliud grave mihi, Beatissime
D Pater, quippè quod meæ cum Apostolicà Sede communioni umbram aliquam offundere videatur, censura scilicet à Romanis Inquisitoribus Rituali libro, qui à me ad usum nostræ diœcesis editus est, inusta. Libri illius à plurimis licèt fratribus Coepiscopis solemni approbatione laudati novum examen subire non detrecto: imò peropto, si modò Sanctitas Vestra per se pro suà benignitate oculos, & animum advertere dignata fuerit. Quidquid in eo emendandum pro suà sapientià duxerit, hoc pro reverentià meà emendandum duco. At pristinum Inquisitorum iudicium, acerbum nimis, & iniuriosum eò magis deprecor, quò pleraquè Ethica Christiana dogmata, tanquàm sub generali Ritualis nostri censurà damnata, à viris illusoribus, qui suprà populum, iuxtà Prophetam, dominantur, passim traduci doleo. Hanc labem à me, hanc à sanctissimis dogmatibus fraudem, & calumniam, ut amoliatur

San-

*Sanctitas Vestra ultimùm obsecro, & supplico. Itaquè votorum tum huius, tum superioris Epistolæ summà in sinu Sanctitatis Vestræ repositâ, mortem expecto, Apostolicâ Vestrà benedictione iam mihi concessâ munitus, & necessario maximè precum vestrarum præsidio apud summum Iudicem adiuvandus.*

*Sanctitatis Vestræ*

Elect. die 25. Octobris An. 1677.

*Humillimus, & obsequentissimus filius, & servus*

*Nicolaus Ep. Electensis.*

Epistola III. Episcopi Electensis ad Regem.

*Electensis Epistola ad Regem.*

*Rex. Laboro mortis articulo, meditando me brevi adfuturum iudicandum in conspectu Dei. Cum autem mandet Christus, ut hostiâ in altari relictâ, vadam priùs reconciliari fratri meo; in hoc novissimo vitæ meæ sacrificio, teneri credo ultimum movere lapidem, ad placandum animum M. T. mihi succensum Regaliæ causâ, in quâ inconcusso fidelitatis obsequio non omnia implere valui mihi commissa. Episcopali libertate scribo, ut testimonium reddam conscientiæ meæ, non aliud in voto habuisse, quàm meo muneri satisfacere. Propterea confido, quòd Deus non redarguet me insultasse M. T. hocquè novissimo humilitatis testimonio, humilis, & procumbens rogo, ut suam bonitatem experiri valeam in tribus Ecclesiasticis domesticis meis, quos exilio damnasti, quamvis in hoc solùm accusari valeant, legibus obtemperasse legitimi superioris sui, dum eis explicaret voluntatem divinam. Deum rogo ut te impleat gratiâ suâ, & Regem faciat secundùm cor suum. Hæc vota eius, qui profundissimo obsequio est*

*M. T.*

*Humillis. Obedientiss. fideliss. servus, & subditus*

*Nicolaus Ep. Electensis.*

Morbo tandem ingravescente die 5. Decemb. An. 1677. animam reddidit Creatori suo, adstante Ep. Appamiensi, qui defunctum laudavit in funere.

Receptis literis *Innocentius*, qui dissidium respiciebat à longè, ut fratribus accurreret gementibus, intercisio silentio Regem paternè monuit.

*Innocentii XI. Ep. ad Regem.*

*Charissime in Christo Fili noster. Iam pridem inaudivimus non deesse Maiestati Tuæ Consiliarios, & Administros, qui tibi persuadere niterentur, ut usum illam antiquam custodiæ fructuum vacantium Ecclesiarum, quæ Regaliam vocant, ad eas quoque Regni tui Ecclesias extenderes, quas illi iuri obnoxias nunquam fuisse, vel ex ipsis Fisci Regii Tabulariis liquidò constet. Sed nos memoriâ repetentes omnem eâ de re controversiam, communi olim Ecclesiæ Catholicæ consensu, & benignâ Sedis Apostolicæ indulgentiâ providè, sapienterquè compositam fuisse in generali Concilio Lugdunensi, minimè ad credendum adduci poteramus Maiestatem Tuam consiliis huiusmodi aures præbituram aliquandò esse, multò minùs admoturam operi manum invitâ Synodo, tanta apud universam Ecclesiam auctoritatis, & reclamantibus constitutionibus, & exemplis Regum Maiorum tuorum, qui constitutionem in eâdem Synodo ad preces Regias, Regiis Legatis præsentibus in ipsâ Galliâ, & totâ Gallicâ gente efflagitante sancitam, per integrum quatuor ferè sæculorum spatium certatim probarunt, observaruntquè, & præcipuo in honore semper habuerunt: nec verosimile videbatur Maiestatem Tuam postquàm tantùm sibi apud Deum meriti, & apud homines gloriæ, maximis pro Religione Catholicâ rebus gestis comparavit, ut nullius Maiorum tuorum Regum clarissimorum, memoria possis invidere, velle rem aggredi, quæ nullâ, vel urgente necessitate, vel æquitate suadente; magnum esset quàm plurimis Galliæ Episcopis, eorumquè Clero incommodum, & iustum dolorem allatura, non sinè gravi Catholicorum omnium sensu, qui in Francorum Annalibus, & in SS. Canonum Statutis animadvertunt quantùm id veteri consuetudini, & Ecclesiæ libertati, ac disciplinæ rationibus adversetur. Undè pleriquè tum veteres, tum recentes Galliæ Scriptores, quantumvis Maiestati Tuæ, & Imperio subessent, & auctoritati, magnitudiniquè impensiùs studerent, in eos, qui præfatam Regaliæ extensionem suadere ausi fuerant, tanquàm in malæ, perditæquè causæ Patronos, favorem Aulæ captantes, liberâ indignatione invecti stylum subindè strinxerunt. Nullus verò Galliæ Regũ vel tentare id voluit, vel tentatũ exequi sustinuit: memor à Sapiente præclarè præcipi:* Nè transeamus terminos, quos posuerunt Patres nostri. *Illud preterea nos huiusmodi periculi metu, curàquè liberabat, quod cùm Maiestas tua non multis abhinc annis huius S. Sedis liberalitate aucta, ornataque sit penè supra votum, indultis amplissimis, præter ea quibus etiam Reges Maiores tui, eiusdem Sedis benignitate gaudebant, nominandi ad beneficia Ecclesiastica; putavissemus, ipsam pijssimi, sapientissimiquè olim Galliæ Regis exemplo, cogitare potius de se tam gravi, periculosaquè sarcinâ exonerandi, quàm de novis ineundis rationibus, regiæ in sacros reditus auctoritatis amplificandæ. Sed ubi allatæ ad nos fuère bonæ memoriæ Nicolai Electensis Episcopi litteræ, in quibus post debitas Religiosi in hanc sanctam Sedem obsequii, & ob filialis observantiæ significationes, suas ad nos querelas, quas propè iam moriens posteà renovavit, ob Regaliæ usum in Ecclesiam suam, quæ ab eo libera semper fuit, nuper invectum deferebat, unaquè à sententiâ Metropolitani Narbonensis appellationem; deindè verò etiam edocti sumus idem Appamiensi Ecclesiæ, pariter liberæ contigisse; ac tandem vidimus ipsi, Regium Maiestatis Tuæ Decretum, quo omnes Gallici Regni Ecclesiæ eiusmodi oneri iubentur assuescere; mirati vehementer sumus Constitutionum Apostolicarum, & Generalium Conciliorum Decretis, ac tam certâ, compertâquè apud omnes veritate, & iustitiâ, potiores fuisse illorum conatus, qui terrena potiùs, & caduca, quàm cœlestia, & æterna respicientes, dum Maiestatis Tuæ gratiam, potentiam amplificando aucupantur, molestissimos tibi, & valdè periculosos conscientiæ terrores (quod Deus avertat) in id tempus præparant cum in districto Dei iudicio mortales omnes quocumquè tandem potentiæ, ac dignitatis loco sint, diligentem reddere debent omnis anteactæ vitæ rationem.*

*Nos itaque pro nostrâ non minùs erga æternam, quæ magna nobis cura, & est, & esse debet Maiestatis Tuæ salutem, quam ergà inclytum Clerum, religiosissimos Galliæ Præsules, imò erga universam Ecclesiam, cuius in hoc negotio procul dubio causa agitur, paternâ charitate seriò admonendum Te, & vehementer hortandum, obsecrandumque iudicavimus, ut à tam iniustis, ac perniciosis consiliis animum abducas: præfatis Electensi, & Appamiensi, cæterisquè Regni tui Ecclesiis, quæ usui Regaliæ huc usque obnoxiæ non fuere, suas libertates, atque immunitates sartas, tectas relinquas, nec eas de cætero ullo modo labefactari sinas, sed quiquid in contrarium hactenùs actum, tentatumvè est, reparari, atquè in pristinum statum restitui cures; nevè cœlestis beneficentiæ fontem, quem subditæ Tibi gentes pietatis*

Digitized by Google

tatis imprimis, iustitiaquè tua merito (sicuti credere nos iuvat) experta huc usque sunt; secus nunc agendo, & Dei per quem regnas Ecclesiam tam graviter lædendo, obstruas, qui scias huius quoque vitæ bona, & Regnorum fœlicitatem, & incrementa à Divinà bonitate unicè dari, expectandaquè esse, sicuti innumera omnium gentium, ac temporum exempla testantur.

Nos sanè hos animi nostri sensus in sinu tacitos continere non patitur, vel nostri Pastoralis officii ratio, cui sollicitudo incumbit omnium Ecclesiarum, vel iustitia debitum, quo omnibus ad hanc sanctam Sedem ex veteri, iustoquè more, quem à nulla humanà potestate impediri fas est, recurrentibus, ius reddere, consilium, opem, ac paternum patrocinium præstare iubemur, vel denique necessitas occurrendi scandalo, quo Christiani latè populi ad tanta rei exitum conversi afficirentur, si à laicali potestate, Ecclesia, earumque Antistites, & Ministri suis libertatibus, atquè immunitatibus, earumquè usu, & antiquà possessione contrà Generalium Conciliorum Decreta, & veterem, inconcussamquè observantiam spoliarentur, non alio prætextu, quàm nova, & inaudita opinionis, nullo iure nixa, cui nonnulli posteà accesserunt, non quod aliquid novi invenerint, quod rei veritatem tam apertam posset in dubium revocare, sed ut rem suam agerent, nihil solliciti si publicam perderent. Speramus Maiestatem Tuam causæ iustitià, & æquitate cognità, quæ patet ipsa per se, paternæ cohortationi, ac precibus nostris pro spectatà animi tui pietate, & sapientià, perpetuàquè in hanc Sanctam Sedem observantià auscultaturam, nosque curà non minus molestà, quàm necessarià, inter tot alias quibus circumdamur, liberaturam. Sanè si aliter suadentium consilia Maiestas Tua paulò attentiùs excusserit, facilè intelliget homines gratiæ, ac fortunis inhiantes, obtenta Regiæ potestatis, suam firmare velle; nequè tam esse Amplitudinis tuæ cupidos, quàm laudis inimicos, cum Authores Tibi sint, ut qui longinquis non ita pridem expeditionibus, & ad omnem posteritatis memoriam illustribus, Christianæ Reipublicæ salutem tuam, & Religionē amplificare tantoperè studuisti in alienis terris, nunc à te ipso quodammodo abiens, Ecclesiæ libertatem, auctoritatemquè in tuis imminutam velis. Quasi verò persuaderi tibi posse confidant æquum esse, vel fieri posse, ut nobilitetur, & crescat ex Ecclesiæ ruinis imperium, quod religiosissimi, fortissimiquè Maiores tui in eandem Ecclesiam studio, & pari in Apostolicam Sedem pietate imprimis partum, tibi eorum vestigiis strenuè insistenti amplissimū reliquerunt. Tu Reges eos, fili charissime, vel potius te ipsum imitare, & eorum, tuaquè præclara facta sæpè in mentem revoca; nos quidem oblivisci non possumus prædecessores nostros Romanos Pontifices, qui similibus de causis graves, ac diuturnas pati, & ærumnas, & immanes contentionum, ac periculorum procellas, in eo confisi, qui mari ventisquè imperat, invicto animo subire non dubitarunt. Hæc ad Maiestatem tuam inviti scribimus, qui lætiori argumento versari magnoperè cuperemus; sed post quàm Apostolicæ servitutis onus subeundo, Divinæ voluntati paruimus, liberum iam nobis non est exequi nostram, quæ tuæ obsecundare quacunque in re vellet, sicuti in pluribus quas nobis ratio temporum, ac publicæ pacis studium hactenus indulgere permisit, cognoscere potuisti. Significavimus hæc ipsa Oratori Maiestatis Tuę Nobili Viro Duci de Estrees, ut ad te pluribus referret, itidemq; Venerabili Fratri Archiepiscopo Adrianopolis Nuntio apud te Nostro, quem d. totà re differentem diligenter, ac benignè pro more audire velis vehementer à te petimus, ac Maiestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ die 12. Martii 1678.

Huic epistolæ cum excusando Rex responderet Ius Regaliæ in Ecclesias Galliæ universas competere tanquàm Regiæ coronæ insitum, innatum, ordineq; transmissum hæreditario; Papa literas adiecit sequentes.

Charissime in Christo Fili noster. Ex Literis, quibus Maiestas Tua ad nostras quintà Aprilis datas respondit, & ex iis quæ ad nos retulit Venerabilis Frater Archiepiscopus Adrianopolitanus, eòrem adductam videmus, ut nos vel Officio nostro deesse reticendo verbum in tempore Salutis, vel tibi fortasse molesti esse cogamur. Sed dabis, Carissime Fili, Pastoralis Officii debito, dabis paternæ sollicitudini, atque amori in te nostro si te malè Consulentium culpà in summo æternę salutis periculo constitutum videntes, opportunè importunè instamus, & obsecramus, elatà voce clamantes ut è tam præcipiti loco pedem referas. Dico in primis tibi pro veris, atquè indubitatis affirmari cognovimus ex tuis Litteris primam quidem Regalię ius, uti nuncupant, in Ecclesias Gallię universas Maiestati tuæ competere tanquàm Regię Coronę insitum, & innatum: deinde, Clarissimos Reges Maiores tuos ius illud, & exercuisse dum viverent, & ad te morientes hęreditario ordine transmisisse. Quibus à Te creditis minimè miramur, si ad ea progressus fuisti, quę taliam principiorum consectanea erant: Veruntamen illa tàm aliena à vero sunt, ut nihil magis: nemo enim sanę mentis, & doctrinæ ausit in dubium revocare nullum seculari potestati in res Sacras ius esse, nisi quatenùs Ecclesiæ indulsit authoritas. Hæc autem non solum Galliæ Regibus non indalsit ut Regaliam prædictam extenderent ad Ecclesias illi oneri non assuetas, sed etiam id fieri apertè vetuit, in Generali Concilio Lugdunensi, quod Gallia in primis veneratur, & Sanctum habet. Reges verò Prædecessores Tuos quotquot fuere, eiusdem Concilii dispositionem religiosè semper, & per quadringentorum ferè Annorum spatium custodivisse, & si quis eorum de eà infringendà cogitavit, re meliùs pensatà, ab incepto destitisse, audimus in confesso esse apud omnes Scriptores præsertim Gallos, & Regia ipsa Tabularia ad oculum demonstrare. Quamobrem pati non possumus, nec debemus, Maiestati Tuæ obtundi errorem tàm manifestum, tàm conscientiæ Tuæ, tàm Galliæ Regno, tàm Ecclesiæ universæ perniciosum. Semel enim admisso, licere Maiestati Tuæ adversùs Generalis Concilii Lugdunensis Decreta, adversùs Regum Maiorum tuorum exempla, adversùs ipsam rerum Sacrarum naturam, & primigeniam Ecclesiarum libertatem invehere ius Regaliæ in eas quoquè Ecclesias, quæ eiusmodi oneri obnoxiæ nunquàm fuere: idque palàm dissentiente, & reclamante, & ineluctabilem cælestis iræ animadversionem, multis cum lachrymis denuntiante Romano Pontifice, ad quem sicuti vetus consuetudo poscebat, nonnulli Galliæ Episcopi à Metropolitanorum sententiis appellarunt, nemo non videt, quæ indè Catholicę Ecclesię deformatio, ac ruina, quę sacrarum, ac profanarum confusio, sublato quodammodo inter spiritualem, ac sæcularem potestatem pariete medio, sit consecutura, non in Gallià solùm, sed in omnibus aliis Christiani orbis Provinciis, manante in dies latiùs exempli auctoritate. Accedet ad hæc, nisi error tam absurdus, ac tam certus corrigatur, gravis iactura, & periculum animarum in isto Regno. Illi enim

quos

Digitized by Google

*quoi Maiestas tua vacantium Ecclesiarum fructibus augebit, in quibus Ecclesiis ius illud locum non habet, cum progressu temporis, vel monitu Sacerdotum, quibus arcana conscientię suæ detegunt, vel etiam ipsi per se, vel in re clarà, & apertà, viderint in quos se laqueos induxerint, & in quod animam suam perditionis ęternę discrimen adduxerint, tot censuris, adeoquè tot sacrilegiis obstricti, tot illicitè perceptis bonis* Ecclesiæ, *quæ restituere cogantur, incredibile dictu est, quà animi perturbatione, quibus conscientię terroribus agentur, Regiam beneficentiam tuã magni infortunii loco habitari. Quorum profectò malorum, & discriminum culpam, nisi providè arceantur,* Maiestas *Tua haud dubiè in districto* Dei *iudicio sustineret. Vehementer itaquè* Maiestatem *tuam rogamus, ut pro eximià animi tui ęquitate, & sapientià rem seriò perpendas, ac si innumeris amplissimi Regni tui negotiis impediris quò minus eam per te cognoscas, viros aliquos non tam doctrinà, quę non adeò magna requiritur ad huius causę cognitionem, quàm pietate, fideque pręstantes consulas, vel si placet, evolvas* Acta *ipsa* Cleri Gallicani *nuper impressa, quę tibi rei veritatẽ luculenter aperient quà cognità, minimè dubitamus quin* Maiestas *tua illicò declaret nihil sibi maiori curæ esse quàm* reddi Deo quæ Dei sunt, *à quo tàm amplas opes, tam splendidam, amplumquè Regnum, & omni* Regno *potiora, tot præclara animi, corporisque bona accepisti. Longiùs fortassè quàm patitur vel evidens causæ iustitia, vel egregia virtus tua in hoc argumento immoramur: verum non ut confundamus te hæc scribimus, sed tanquàm Filium charissimum monemus, animo reputantes, nihil prodesse homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentũ patiatur. Speramus charissime Fili, opus non fore ut novis eximiam Religionem, æquitatemquè tuam precibus in hoc negotio interpellemus; ea cæteroqui est rei magnitudo, & gravitas, in quà non Gallicanæ solùm, sed totius Ecclesiæ dignitas, salusquè vertitur, ut pro Apostolici officii nostri munere extrema potiùs pati omnia, quàm causam istam negligenter agere debeamus. Reliqua super hoc argumento accipies, à præfato Nuntio nostro; ac Tibi Apostolicam Benedictionem perpetuò cum felicitatis tuæ voto coniunctam, amantissimè impertimur. Datum Romę 21. Septembris 1678.*

His literis cum Rex minimè responderet; Regalistæ non desisterent; Ep. Appamiensis 6. Iunii 1679. Archiepiscopo scripsit Parisiensi modestè insimulans, quòd causam communem Cleri cum promovere posset apud Regem, præteriret; Se excusavit etiam apud Procuratorem Generalem Parlamenti, quia promotum titulo Regaliæ non admisisset. 8. Iulii An. 1679. novà ordinatione anathema exposuit in eos, qui Regaliæ prætextu beneficia usurparent immunia, Pontifex etiam Romanus tertiam adiecit Epistolam.

*Charissime in Christo Fili noster. Binis iam Litteris fusè, & luculenter ostendimus* Maiestati *tuæ etiam ex concordi ferè omnium Galliæ scriptorũ testimonio, & ex ipsius tabularii tui actis, quàm esset libertati Ecclesiæ iniuriosum, omni humano, divinoquè iuri contrarium, & alienum à perpetuo Regum maiorum tuorum more, & exemplo, editam septem abhinc annis à te Decretum, quo consuetudinem illam custodiendi fructus vacantium* Ecclesiarum, *quam Regaliam nuncupant, ad eas quoquò* Ecclesias *extendi iuberes, quæ eiusmodi oneri obnoxiæ nunquàm fuere: in quibus litteris vehementer à te pro* A *Pastorali officii nostri debito, & pro perpetuà quam gerimus æternæ salutis curà, efflagitavimus, ut Decretum illud, aliaquè deinceps acta adversùs iura, & libertates Ecclesiarum abrogari, aboleriquè mandares, & illud sanè est causæ ipsius meritũ, & de Regià animi tui æquitate, & magnitudine opinio nostra, ut certà spe duceremur,* Maiestatem *tuam, in locum pristinum omnibus quamprimùm repositis, cor nostrum ab alteriore tantæ rei sollicitudine, eot aliis in* Ecclesia *Catholica procuratione districtam curis, liberaturam. Verùm postquam plurium mensum spatium, quod longanimitati nostræ probandæ ab ultimis litteris effluxit, nullum adhuc ad eas litteras responsum, nequè ex eis fructum videmus: quin etiam plurimorum litteris, & sermone ad nos comperto affertur, omnia deteriore indies loco esse, & prætextu Regaliæ huiusmodi,* B *beneficiorum collationes, & cannonicas institutiones impediri,* Episcoporum *auctoritatem pessumdari,* Ecclesiasticã *disciplinam, ordinemque turbari, novam deniquè praxim veteri* Ecclesiæ *praxi, & divinæ institutioni contrariam invehi à sæculari potestate, nequè ea clam, & timidè fieri, sed palàm, & manu Regià.* Non *repetimus hoc loco, nec actum agamus, quot inde scandala, & querelæ, quot quot in Clerum Gallicanum incommoda nascantur, quod Ecclesiæ universæ à tali exemplo periculum, quæ tempestas immineat, quæ honori, atquè nomini tuo macula, quæ conscientiæ labes inuratur, satis enim ea in superioribus litteris indicavimus, satis patent ipsa per se. Non patitur tamen sincera, ac planè paterna erga te, regnumquè* Amplissimum *Charitas nostra nos in tantà Divini honoris iniurià, in tam gravi tui ipsius periculo adhuc silere, sed* C *cogimur iterum intimo cordis affectu, & visceribus Christi rogare, obsecrariquè* Maiestatem *tuam, ut memor eiusdem Christi verborum* Ad Ecclesiæ *Præpositos:* qui vos audit me audit, *nos potiùs, qui tibi parentis, & quidem amantissimi loco sumus, audire velis, vera, & salutaria suadentes, quàm* Filios *diffidentiæ, qui terrena tantùm sapiunt, quiquè consiliis in speciem utilibus, sed reverà perniciosis, inclyta ipsius Regni fundamenta in rerum sacrarum reverentià; & in* Ecclesiæ *authoritate, iuribusquè tuendis posita convellunt: qui quidem si ii esse vellent, quos esse eorum dignitas, & officium, tuaque in eos singularis benignitas postulat, imitari potius deberent integritatem, fidemquè eorum quos olim pari loco positos memoriæ proditum est, & in Gallicani Regni acta nuper relatum, liberà aliquando voce in simili causà monuisse* D *Reges prædecessores tuos, meminissẽt, quid, & quo iurisiurãdi Religione ubi Regni gubernacula suscepturi sacro Chrismate inungerẽtur, polliciti* Deo *fuissent, se videlicet eius gloriæ omni studio inservituros: & pro Ecclesiæ suæ sanctæ iuribus, & libertate asserendà paratos fore semper sanguinem ipsum, vitamquè profundere, considerarent fluxam, & fugacem esse mortalium vitam, Regum præsertim, & Principum, qui ubi ad districtum Dei iudicium vocarentur, illuc accederent sine custodibus, sine Comitatu, sine ullis Regiæ vel dignitatis insigniis, vel potentiæ præsidiis nudi, ac inermes reddituri vitæ anteactæ rationem Iudici scrutatori cordium, quem nulla res latet, apud quem non est acceptio personarum, qui potestatem habet mittere in gehennam, ubi potentes potenter tormenta patientur. Nec superiore sæculo defuit in Gallià Episcopus, qui in frequenti aliorum præsulum, aulæquè procerum coronà apud Henricum* Regem *huius nominis III. Cleri* Gallicani *causam in re non absimili orans, Regi dixit: Observatum fuisse, nunquàm in Gallià* Regias *stirpes defuisse nisi ubi Reges* tu-



Digitized by Google

indebitas ad beneficia nominationes arrogare sibi cœpissent, à quibus S. Ludovicus Rex Christianæ humilitatis gloriâ, quàm Regiæ dignitatis culmine sublimior usquè adeò abhorruisset, ut altrò etiam Pontificiâ sibi auctoritate delatas rejecerit. Fuit hæc quondàm in Galliâ, imò ad hæc nostra tempora strennè retenta est penes Episcopalē ordinem Apostolica loquendi libertas nihil metuens, nihil sperans nisi à Deo, neque id solum per Reges licuit, sed ita Episcoporum monita semper accepta sunt ut Episcopi ipsi, & sibi meritam laudem, & causæ optatum exitum sint consecuti, manseritquè propterea inviolata tamdiù atque inconcussa Sancti Oecumenici Concilii Lugdunensis authoritas adeò ut nonnulli Galliæ Reges impios, & sacrilegos publico Decreto eos appellaverint, quicumquè Regaliam ad Ecclesias ei non assuetas extendere aliqua ratione tentarent, sicuti in vestris Annalibus traditum reperitur. Hæc autem præsentis temporis infirmitas eo acerbior nobis accidit, quod scimus Maiestatem tuam nihil ducere inter Regii animi ornamenta præclarius zelo iustitiæ, & studio Divini honoris, pro quo tam pia, tum salutaria Decreta nuper edidisti, ac tam multa, tantà cum nominis tui laude, ac bonorum omnium lætitiâ in præsens agis, destruendo Synagogas, & Asylos Hæreticorum, ut tibi non minora in Cœlo statuere videaris conservata, propugnataque Religionis trophæa, quàm in terris relicturum speramus devictarum gentium Barbararum. Cavendum tamen diligenter, ne quod dextera, hoc est ingenita pietas tua, ædificat; destruat sinistra, hoc est callida, & iniqua Consilia dicentium tenebras lucem, & lucem tenebras, cum Apostolico moneamur oraculo, qui in uno delinquit, esse omnium reum. Non defuere hac etiam occasione in Galliâ quidam, neque plures deessent ex Fratribus nostris Episcopi Viri fortes, & Divinæ Legis, ac libertatis Ecclesiasticæ zelatores, qui gravissimam, & toti Franciæ Regno, imò Ecclesiæ universæ communem hanc causam pari constantiâ, ac spiritu apud Maiestatem tuam agerent, sed metu quodam, ut ipsis quidem videtur iusto, ignoscendoquè, ut nos autem iudicamus vano, & non solùm Episcopali officio, sed etiam magnanimitati, æquitatiquè tuæ iniurioso retenti silent, expectantes dum humilitas nostra à filiali tuà in Sanctam Sedem observantiâ impetret, quod à Regiâ tuà Iustitiâ Ecclesiis suis debitum, poscere ipsi non audent. Itaque in his litteris nostris illorum omnium iustum dolorem, & preces agnosce, quinimmò Dei ipsius voluntatē ore te nostro alloquentis, ac serio monentis, ut prædictum Decretum, & quidquid eius occasione adversùs Ecclesiæ libertatem, & iura actum, gestumque fuit, hactenus corrigi, emendariquè omninò cures, alioquin magnoperè veremur, nè subire aliquando debeas, quam tibi in aliis litteris denunciavimus; & nunc iterum, ac tertiò, inviti quidem quantum pertinet ad sensum amoris in te nostri, sed Deo nos interius monente, apertè denunciamus cœlestis iræ animadversionem. Nos sanè neque hoc negotium per litteras amplius urgebimus, neque desides erimus in adhibendis remediis, quæ tradita nobis divinitùs potestati competunt, quæque in tàm gravi, & periculoso morbo mittere, sinè gravissimâ neglecti Apostolici muneris culpâ non possumus: neque tamen ullum inde incommodum, aut periculum, nullam quantumvis severam, atquè horribilem tempestatem pertimescimus, ad hoc enim vocati sumus, neque facimus animam nostram pretiosiorem, quàm nos, probè intelligentes, non forti solum, sed etiam læto animo subeundas tribulationes propter iustitiam; in quibus, & in Cru-

A ce Domini nos unicè gloriari oportet. Causam Dei agimus quærentes non quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi, cum eo propterea, non nobiscum, tibi negotium erit imposterum, cum eo scilicet adversus quem non est sapientia, non est consilium, non est potentia; Nos postquàm ministerii nostri partes plantando, & rigando sicut oportet impleverimus, expectabimus dum operi incrementum det Deus, à quo accuratà prece flagitare non desinemus, ut verbis, & hortationibus hisce nostris vim, & robur infundat, Maiestatis tuæ animum ad salubriora consilia flectendi, undè & mereri tu possis, & nos lætari, res tuas secundariò in dies cursu fluere, ac subditas imperio tuo gentes perpetuà, atquè opimà pace florere, tibiquè Apostolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ 29. Decembris 1679.

Anno 1680. recurrunt literæ eiusdem Ep. Ap-
B pamiensis ad R. P. de la Chaise societatis Iesu Regium Confessarium, redarguentis, quòd ipse eum lupos appellasset rapaces eos, qui Regaliam prænsabant, nunc Lupos istos rapaces præferret ovibus innocentibus, in partem declinans malignantium. Die 30. Maii An. 1680. querelas publicà ordinatione renovans, quià dignitates primariæ Ecclesiæ Cathedralis, & Collegialium occuparentur ab aulicis gravi Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento: Regalistæ etiam provisionem beneficiorum protrahebent, ut interim fructus usurparent, ut in diebus contigerat S. Bernardi, ep. 122., censuras exposuit ex Conciliis Lugdunensi sub Gregorio X. Avenionensi sub Io: 22. & Bened. XII. Tridentino Sess. 21. c. 11. Plures autem Galliarum Episcopi, auditâ tertiâ admonitione Pontificis, ad S. Germanum congregati Regi literas dedere sequentes.

C Rex. Magno dolore accepimus S. P. N. Papam scripsisse M. T. non solùm exhortando, ut liberas permittas aliquas Ecclesias Regaliæ non subiectas; sed etiam declarando, se suà usurum auctoritate, ni iuxtà admonitionem paternam ab attentato recesseris. Credidimus propterea in occasione tàm gravi silere non posse. Magnoperè namquè patimur eodem modo procedi adversus filium Primogenitum, & Ecclesiæ protectorem, ut aliàs contrà Principes usurpatores iurii Ecclesiastici. Votum nostrum non est quidem hanc cognoscere causam, cum in Comitiis præteritis sæpè experti simus pietatem, ac Iustitiam tuam; dolemus tamen modum agendi extraordinarium, quo honor Religionis, & gloria Sedis Apostolicæ potiùs diminui posset, quàm augeri, spiritus fovendo seditiosus, qui invito Pontifice, (cuius intentionem rectissimam credimus) eius quotidie, abutuntur nomine, & auctoritate, dissidia serendo contrà honorem M. T. &
D Prælatorum gravissimorum Regni tui, ad vindictam privatam, & discordiam excitandam inter Sacerdotium, & Regnum eo tempore, quo unio exoptanda esset ad tutelam Fidei, quam exerces, Ecclesiasticæ disciplinæ, extirpanda hæresi, & novitatis. Facile tamen nobis erit, Rex, fulcro M. T, mala prævidere, & providere futura, sententiam nostram exponendo Summo Pontifici, salvo semper obsequio, quod ei debemus, & remedia disponendo, quæ Zelus suadet, atquè prudentia gravissimorum Prælatorum Ecclesiæ Dei. Non ignorarunt Patres Nostri in similibus libertatem servare Ecclesiæ Gallicanæ, salvo honore, quem eorum Natalia, & Religio suadent ergà Regem. Et quemadmodum M. T. Zelo, & autoritate omnes excedit Antecessores; ità Tibi nos adhæremus,

at

Digitized by Google

*at nihil sit, quod nos separare valeat. Protestatio hæc insidias eludet inimicorum Sedis Apostolicæ, & Regni; quam M. T. renovamus omni sinceritate, & affectu; ut omnis Terra cognoscat, nos non latere, quomodo simul cum Ecclesiasticà disciplinà diligamus gloriosam M. T.*

*Humillim., Obed. fideliss. Oblig. Servi, & subditi Archiep. Ep. aliique Ecclesiastici deputati à Clero Gallicano.*

† Archiep. Parisien. &c.
† Grignani Coadiutor Arlens.
† Philippus Patriarcha, & Archiep. Burgensis.
† Hyacintus Archiep.
† Franc. Ep. Amiensis.
† C. Ep.
† Carol. Franc. Ep. Constant.
† S. de Guemadeve Ep S. Mali.
† L.M. Ep. Dux Langre.
† Franc. Ludovic. Ep.
† S. B. M. Colbertus Ep. Montis Albani.
† Ludov. Aube Ep.
† Ep. Cisteron.
† Poncetus de Riviere Ep. & Comes.
† Andreas Ep.
† Ludov. Alphon. Ep. Electensis Promotor.

| | |
|---|---|
| De Grancè | De Ventimille du Luc. |
| De Tonnerre | I. le Gentil. |
| De Coetlogon | De Moncassin |
| De Villars | De S. Valier |
| De Broglio | Boucaur. |
| Phelippeaux | Des Marefis Agent General dù Clergè |
| De Marillat Decanus S. Io: Lugdun. | De France |
| De Fleurii | De Besons Agent General dù Clergè |
| De Viens | |
| De Gourgues | De France. |
| Cheron | |

De par Nosseigneurs de l' Assemblèe Generale.
L' Abbè de Grignon nomme par le Roy à l'Evechè *D'Eureux, Secretaire.*

*De S. Germain en Laye, ce 10. Iuillet, 1680.*

Appamiensi verò in tribulatione posito, & prò Ecclesià sollicito Papa adfuit epistolà consolatorià, & auxilio promisso opportuno.

*Venerabili fratri Franc. Ep. Appamiensi Innocentius Papa XI.*

*Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quod plurimorum sermone nostris auribus dudum insonat, Fraternitatis tuæ ad nos Litteræ planè declarant, te scilicet in tribulationibus gloriantem, & inter affecta valetudinis incommoda, inter paupertatis, & vexationum angustias crescentem quotidiè magis in charitate Christi, magno, fortique animo illius causam agere, & pergratum Deo, hominibusq. spectaculum exhibere. Magnum profectò ex tanta virtutis experimento dolori nostro solatium capimus, & pari obligationis nexu obstringimur tendendi supplices in Cœlum manus, ut uberes profiteamur misericordiarum Patri gratias, quod difficillimo tempore suscitaverit sibi in illo Regno Sacerdotem fidelem, qui in communi animorum consternatione, & silentio quasi tuba exaltet vocem suam, & opponat murum pro domo Israel; documentum illustre cæteris, quos Dominus posuit regere Ecclesiam suam quam acquisivit Sanguine suo, quàm præclara, quamquè gaudii plena res est dignos haberi, qui pro Iesu Christi nomine contumeliam patiantur, si contumelia dicenda est, ex quà vera, & solida, in hac quoque mortali vità, oritur gloria iudicio sapientum. Nos quidem quantùm in nobis situm erit nullo loco deerimus virtuti tuæ, quamquàm etsi deessent omnes, pro explorato tamen habemus Deum causæ, necessitati Ecclesiæ, constanti tuæ in ipsum fidei, assiduis, & accuratis precibus nostris, bonorumquè omnium votis non defuturum. Statueramus efficax remedium adhibere iis, quæ Archiepiscopus Tholosanus contra Lugdunensis Concilii sanctionem, & contra Appamiensis Ecclesiæ, vel potiùs totius Provinciæ Tholosanæ iura, libertatemquè hucusquè attentare ausus fuit. Sed redditis Christianissimi Regis litteris, in quibus ad ultimas nostras consuetà cum filialis observantiæ significatione respondens se significat dilecto nostro Cardinali d'Estrees, ut expedito itinere ad Vrbem proficiscatur Regiam nobis mentem super negotio Regaliæ declaraturus, operæ pretium duximus eidem remedio supersedere dum Cardinalis adveniat. Nobis enim persuademus Regem quoquè ipsum interim curaturum, ut omnia in locum pristinum reponantur. Quod si secùs accidat, & præfatus Archiepiscopus, ab eoquè causam habentes pergant in te, tuisquè Canonicis, aliisque Ecclesiæ tuæ Beneficiatis vexandis prætextu iuris Metropolitani, tuæ Pastoralis sollicitudinis, & expectatæ constantiæ partes erunt te, tuamquè Ecclesiam adversus eorum attentata Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum ope, armisquè defendere. Ad nos enim quod pertinet omne tibi à Pontificià authoritate, & à paternà charitate nostrà præsidium polliceri debes. Tibi Apostolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 17. Mensis Iulii Anno 1680. Pontificatus nostri anno quarto.*

Marius Spinola.

Non longè post Episcopus moritur Appamiensis eà opinione Sanctitatis, ut populus discerpserit vestimenta eius. Canonici Regulares S. Augustinì, quorum est Cathedralis Ecclesia, duos elegerunt Generales Vicarios *P. Abaurede*, & *P. Rech.* Post biduum advenere tres Regalistæ cum mandatis Archiep. Tholosani, nec non Iudicis sæcularis, ut permitterentur cum reliquis beneficiatis sacra administrare: Vicario tamen reclamante, & anathema ex suggestu ad populum renovante, immò ex Ecclesià exeunte cum Capitulo, & populo, nè cum ipsis communicarent; soli Regalistæ præsente iudice *Mage*, qui eos in possessionem manuduxerat, Missam cecinere solemnem abhorrente populo, qui illis canentibus extrà Ecclesiam substitit donec absoluto eorum officio, in Ecclesiam irruens, cineres adoravit Episcopi defuncti, quamvis armati milites custodirent sepulchrum feris, repagulis catenatum, ad propulsandum populum irruentem. Iesuitæ (quorum tres vivens excommunicaverat) damnatum licèt declamarent, populus tamen venerabatur ut Sanctum, *S. Franciscum du Pamiers* appellantes. Innotuere hæc omnia Romano Pontifici, qui protinùs in consolationem afflictorum, sequens Breve transmisit. Mors Ep. Appamiensis.

*Dilectis filiis*
*Michaeli d'Aubarede Archidiac.*
*Leonardo Rech*
*Vicariis Generalibus, Sede vacante, Capitulo, & Canonicis Regularibus Ecclesiæ Appamiensis*

In-

Innocentius Papa XI.

*Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Nihil accidere nobis tristius poterat nuntio, quem cum rumore isto publico vestræ litteræ nobis attulerant, decessisse bonæ memoriæ Franciscum Appamiẽsis Ecclesiæ Episcopum, eà virtute, eoque zelo Pastorali, & invictà animi constantià præditum, ut vir secundum cor Dei, & verè Apostolicus dici meruerit.*

*Quod autem dolorem nostram cumulat, eo tempore decessit, quo eum maximè vivere afflicta eiusdem Ecclesiæ conditio postulabat; causa etiam vestra, quod tàm vigili Pastore, tàm provido Patre orbatos videmus, non mediocriter angimur; omnem tamen doloris sensum ab animis nostris debet abstergere consideratio præmiorũ ad quæ illũ, sicut sperare fas est tot pro Ecclesià suà exausti labores, tot incommoda, atquè ærumnæ pro causà Dei forti, magnoquè animo ad supremum vitæ spiritum tolerata ex hoc mortali carcere evocarunt, unde spes alia nobis oriri debet eũ validiore inposterum patrocinio rebus vestris è cælo affuturum, nequè passurum, ut Appamiẽsis Ecclesiæ disciplinã tàm sapienter à se, & tàm salubriter restitutam quispiã mortalium invertat, sed potiùs à misericordiarum Patre impetraturum, ut conversis in melius animis, consiliisquè aliter sentientium, pristina eidem Ecclesiæ pax, tranquillitasquè reddatur, ut sponsę sibi per tot annos ad extremum dilectæ inpræsens viduatæ, Præsul si minus par, simili saltem spiritu, ac virtute contingat, modò vos fideles inveniamini in canonicà libertate ipsius Ecclesię pro viribus tuendà, & in observandis sapientissimis constitutionibus, quas ab eo lucubratas, vobisquè ad sanctioris vitę regulam pro instituti vestri sanctitate propositas nos non ita pridem Apostolicà auctoritate firmavimus.*

*Quæ ut strenuè, & constanter exequamini, atque illius Diœcesis Clerum in traditâ ab ipso disciplinà sedulò contineatis, supervacaneum ducimus adhortari, cum diuturno experimento perspecta virtus, fidesquè vestra, plus etiam quàm à nobis petere ęquum esset, polliceantur.*

*Cæterum ex nostris ad eundem Episcopum Litteris 17. Iulii datis cognoscere potuistis, quam præcipuum sibi locum inter Pontificias curas vendicet negotium Appamiense cum quo plurimarum Ecclesiarum, vel potiùs Catholicæ Ecclesiæ causa coniuncta est. Meritas interim rebus ab excessu Episcopi per vos piè, ac fortiter gestis laudes tribuimus, utquè in instituto itinere strenuè pergatis, vos magnoperè hortamur, nihil omissuri eorum, quæ ad prosperum rerum exitum conducere posse intelligemus.*

*Speramus autem, ac planè confidimus divinam bonitatem vos, & Ecclesiam istam singulari cum vestrà laude, & proventu ab omni tribulatione, quam subire necesse est, quicumquè volunt piè vivere in Christo Iesu quamprimum liberaturam. Læta interim vobis omnia assiduo cum divinæ gratiæ incremento apprecamur, & intimo paterni amoris sensu benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris 25. Septemb. 1680. Pontificii nostri Anno 5.*

Marius Spinula.

Hoc Breve alacres populi, & Clerus stare dixerunt pro oratione funebri in laudem defuncti; Iudices sæculares relegarunt *P. Aubarede* Generalem Vicarium, *P. Rech* vinculis primò traditum posteà in exilium miserunt absquè sacculo, & perà; subrogatis ab Archiepiscopo Tholosano in Vicarium *S. Fortussin* in Promotorẽ *S. Palarin*, cum quibus communicare recusantes plures Curati, carcere mulctati sunt, vel exilio. *D. de Mirepoix* soror defuncti Episcopi, cum filiabus spiritualibus quia sacrificiis Regalistarum non adessent; & M. de Caulet Ecclesiasticus, frater defuncti Episcopi, dispersi in montana secesserunt. Primum facinus novi Vicarii, administrationem sacramentorum indulgere Iesuitis, qui erant interdicti nullà prævià absolutione, vel solemnitate. A Carmelitis cum exigeret ornamenta Capituli, ac memorias Episcopi defuncti; illi autem se tenere negarẽt, iurare coegit. Relegavit Priorẽ Dominicanorum. Canonicos Regulares in Cathedrali superstites deposuit, tãdẽ carceri tradidit in vindictã ordinationis exposiṭę à P. Carolo Vicario Capitulari, in quà decreta Archiep. Tholosani inutilia declarabat. Angariavit omnes, qui mortuum honorarẽt, licèt etiam post obitum dicatur miraculis vivere. *Hæc, & maiora leges in libello*, cui titulus *Recueil de divers Pieces, & letres concernant la Regale, & le diocese de Pamies, à Cologne. Chez Nicolas Schouten* 1681. Vbi legere est Ordinationem *Bernardi Fortallici* in Vicarium promoti ab Archiep. Tholosano cum condemnatione, & responsione *Petri Caroli* Vicarii Capitularis, omnia adprobante Sede Apostolicà contra Archiep. Tholosanum.

*Iesuitæ ab Ep. Appamiensi interdicti.*

Interim cum accepisset Innocentius P. P. relegatos Vicarios Capitulares, quorum alter ostiatim panem quærebat; alter in carcere obiit, Canonicis, & Capitulo sequentia scripsit.

*Consolatoria Innocent. XI. ad Capitulum Appamiense.*

*Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem. Præter omnem exspectationem nostram accepimus ex vestris Litteris, quæ nuper isthic acciderunt de dilecto Filio Michaele d'Aubarede. Archidiacono, & Vicario Generali per vos, & verum, & legitimum eiusdem Ecclesiæ Capitulum constituentes, canonicè electo, exalare iusso, dequè admissis ad celebrationem divinorum Officiorũ iis, quos tanquam in beneficiorum possessionem temerè, ac violenter intrusos, bonæ memorię Franciscus Episcopus vester, innodatos censuris à Generali Concilio Lugdunensi inflictis promulgaverat. Vestræ tamen pietatis, ac fidei erit manere in statione, & locum, in quo positi estis, constanter tenere, sicuti facitis; nequè alios Vicarios Generales Sede vacante agnoscere, quàm præfatum Michaelem d'Aubarede, & alios à vobis electos, vel eligendos, quos etiam quatenùs opus sit authoritate Apostolicà confirmamus, & respectivè confirmabimus: mandantes Clero tàm sæculari, quàm regulari, & universo populo Appamiensi, ut neminem alium, quàm quos diximus Vicarium Capitularem agnoscant, aut illi actum ullum obedientiæ præstent; de quo etiam per vos, seu per electos à vobis Vicarios moneri præfatos Clerum, & populum volumus, ac mandamus: alios enim, quicumquè Vicarii Generalis authoritatem sibi quocumquè nomine usurpare auderent, antequàm novum Episcopum Appamiensi Ecclesiæ præfecerimus, nullum planè ius, ac facultatem habere negotiis se Ecclesiæ, & Diœcesis istius immiscendi, eaquè omnia, quæ Vicariatus eiusmodi titulo, per eos agi contingeret, irrita, & inania, ac nullius momenti fore declaramus. Agenda interim Divinæ Misericordiæ uberes gratiæ de occasionibus quibus virtutem, ac fidem vestram exercet, & de singulari constantià, quà vos armat, ad omnia alacriter pro Christi nomine, & cum gaudio sustinenda. Nos paternum nostrum ob angustias vestras dolorem eà interim consideratione lenimus, quòd multæ sunt tribulationes iustorum, & de omnibus iis liberabit eos Dominus:*

ae

*ac vobis dilecti Filii Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 2. Octob. Anno 1680.*

Marius Spinula.

Pontificis epistola ad Archiep. Tholos. Archiepiscopo etiam Tholosano sequentem misit epistolam, ut ad iustitiam, & tutelam Ecclesiæ revocaret.

*Venerabili fratri Iosepho Archiep. Tholosano Innocentius P.P. XI.*

*Venerabilis Frater. Non possumus non vehementer mirari, quod ad aures nostras pervenit, videlicet, Fraternitatem tuam veritam non esse passim absolvere, quos novo, & iniusto Regaliæ titulo in Appamiensis Diœcesis beneficia intrusos, bonæ memoriæ Franciscus Episcopus declaravit obstrictos Censuris à generali Concilio Lugdunensi inflictis, cum præsertim non desint, qui Parochiales quoquè Ecclesias, rem antea inauditam, eo prætextu occupaverint. Admirationem verò nostram vehementer auget, quod nihil statuere potes contrà iura, libertatemquè Ecclesiæ Appamiensis, quin idem contrà Tolosanam, & universam Provinciam istam statuas; & præterea ignorare non potes Episcopum ipsum Appamiensem à tuis sententiis ad Nos, & ad hanc S. Sedem appellasse, Nosquè appellationem eiusmodi admisisse, cuius rei, vel umbra ipsa, si debitam eidem Sedi reverentiam in consilio habere voluisses, revocare te, atquè retrahere ab incepto debuisset. Hæc scribenda ad Fraternitatem tuam duximus, ut & quæ perperam egisti, corrigas, & à similibus inposterum agendis abstineas, atquè interim conscientiæ tuæ consulas. Datum Romæ die 2. Octob. anni 1680.*

Marius Spinula.

Cur in eâ omissa benedictio Apostolica? Omittitur in hac Epistolâ Apostolica benedictio, ut Archiepiscopus agnito statu miserabili, quo tenebatur, ad cor rediret Religionis, atquè Iustitiæ. Romæ Iesuitæ cum malè audirent, quia *P. de la Chaize*, & *P. Ludovicus Maimbourg* verbo, & scripto propugnatores dicerentur Regalistarum. P. Oliva Generalis Societatis eos ad se Romam evocavit, cui tamen minimè obtemperarunt. Hinc Papa de tantarum animarum perditione sollicitus Duo Jesuitæ cum Regalistis. nè prætextu ignorantiæ excusationes quærerent in peccatis, sequens Breve direxit.

*Dilectis Filiis Ioanni Cerle Canonico, & Præcentori, Vicario Generali Sede vacante, Capitulo, & Canonicis Regularibus Ecclesiæ Appamiensis.*

Innocentius Papa XI.

*Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quoniam novas in dies prodire accipimus Satanæ artes, & machinationes: ut quæ à piæ recordationis Francisco Episcopo vestro pro istius Ecclesiæ, & Diœcesis utilitate salubriter statuta fuere, penitùs evertat. Et eorum quæ hùc usquè acciderunt, experientia nos admonet, non defuturos filios perditionis, errare facientes in viâ plurimos, qui miscere, ac turbare nitentur omnia, perperam interpretando litterarum, ac mandatorum nostrorum sensus, ut excusent pro more suo excusationes in peccatis. Nos nè ullum huiusmodi hominum molitionibus locum relinquamus, ad litteras, quas die secundâ mensis Octobris, super negotio Vicariatus Capitularis ad vos dedimus, uberius explicandas per præsentes addendâ duximus. Quòd si quis præter Vicarios Capitulares, qui à vobis verè Appamiensis Ecclesiæ Capitulum constituentibus, Canonicè, & de more electi fuerunt, vel pro re natâ eligentur, quosquè nos authoritate Apostolicâ, quatenùs opus sit, confirmamus, & respectivè confirmabimus, Vicariatus eiusmodi nomen, & authoritatem quocumquè titulo electionis, vel deputationis factæ ab intrusis in Canonicatus eiusdem Cathedralis, quos idem Episcopus promulgavit obstrictos censuris generalis Concilii Lugdunensis, vel ab ipso Metropolitano, vel ab aliâ quacumquè potestate usurpare præsumpserit: omnia ab ipsis eo nomine acta, vel agenda, decreta, vel decernenda cum omnibus, & singulis indè secutis, & quomodolibet secuturis, temeraria, & à nô habentibus potestatem attentata, ideoquè irrita, & inania, ac nullius roboris fuisse, nec unquàm fore declaramus. Eisquè, qui prætextu electionis vel deputationis eiusmodi ullam iurisdictionem exercere ausi fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ maioris excommunicationis, & privationis dignitatum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & ad alia obtinenda inhabilitatis perpetuæ ipso facto incurrendâ districtè prohibemus, & interdicimus, nè id facere alteriùs præsumant: Eos quoquè qui illis quomodolibet paruerint, aut favorem, consilium, auxilium, autoritatem quocumquè modo præstiterint, cuiuscumquè ordinis, gradus, & dignitatis sint, tàm Laicos quàm Clericos, tàm sæculares quàm Regulares, etiam Patres Societatis Iesu, & Metropolitanum ipsum, quem cæteroqui præter causæ meritum, perspecta voluntas nostra, & per nos admissa appellatio ab eius sententiis, debent in officio continere, similibus respectivè pœnis eo ipso, & absquè aliâ declaratione innodamus, & innodatos fore decernimus, ac mandamus; ac earumdem pœnarum absolutionem, & relaxationem nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus. monentes insuper utriusquè sexus fideles de quorũ externâ salute solliciti esse debemus, invalidas esse, ac fore confessiones, quas Presbyteri sæculares, vel Regulares vigore facultatis à prædictis nulliter electis, vel deputatis Vicariis audiverint, vel inposterum audient, nulla, & invalida matrimonia coràm Sacerdote, non Parocho Canonicè ingresso contracta vigore licentiæ ab eis concessæ: ac proindè sic contrahentes in concubinatu victuros, Idquè de Parochiis, & aliis Beneficiis per eos collatis decernimus, & ordinamus. Et de licentiis concionandi, & de quocumquè alio actu, aut decreto per eos facto, vel faciendo.*

*Vos interim dilecti Filii loci, & muneris vestri memores, in creditam vobis curam diligenter incumbite, & haustam ab egregio Pastore, & Patre vestro disciplinam Appamiensis Ecclesiæ bono, & aliorum incitamento constanter retinete dum nos impensè precamur eum, qui habitat in concilio iustorum, & congregatione, ut sit in medio vestrûm, & suâ præsenti ope vobis continenter adesse velit, quibus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 1. Ianuarii 1681. Pontific. nostri anno 5.*

Marius Spinula.

Similia cum contigissent inter Moniales de Charonne, Pontifex muneri non defuit Pastorali, literis datis sequentibus. Nova contentio cum Monialibus de Charonne.

*Dilectis in Christo filiabus Monialibus, seu Canonicis Regularibus Congregationis Beatæ Mariæ Virginis, nuncupatis Monasterii loci de Charonne, Parisiensis Diœcesis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Institutionis veri Dei, Petri Fourier.*

Innocentius Papa XI.

*Dilecta in Christo Filia, allatum ad nos est, quandam Cisterciensis, seu alterius, non tamen vestri Ordinis Mariam*

riam Angelicam le Maistre de Grand Champ nuncupatam prætextu Regiæ nominationis ad perpetuam, seu temporalem Vestri Monasterii præfecturam, se in eiusdem possessionem effractis violenter claustri vestri foribus, dum vos ad divinam opem implorandam preces ad Aras suppliciter funderetis, immisisse. Tantam sanè ex eiusdem facto capimus intimi doloris amaritudinem, quantam rei ipsius atrocitas, & grave scandalum quod exinde profectum est, reposcebat, nequè minoris commiserationis sensu prosecuti vos fuimus, qui cognitam, & perspectam habemus pietatem, atquè egregiam disciplinam, quà instituti vestri, præsertim in gratuità, ac fideli puellarum instructione, normam tenetis. Speramus non defutura vobis veriora solatia à Patre Misericordiarum, qui virtutem vestram ita exercet, & quasi per ignem probat, ut probet, & illustret magis, & ampliori mercede suas B coronet. Præcipimus interim vobis, ne prædicta Mariæ Angelicæ ullum obedientiæ actum exhibeatis, aut quidquam faciatis, quod trahi aliquo modo possit in probationem, & consensum earum, quæ hac occasione à quoquam sub quovis colore peracta, vel patrata sunt, quæquè nos Apostolicà auctoritate nulla, atque irrita declaramus, & quatenus opus sit, cassamus, omniaquè, & singula tàm à dictà Marià Angelicà, quàm ab eius fautoribus attentata annullamus, revocamus, atquè abrogamus, sed procedatis iuxtà regularum vestrarum præscriptum ad eligendam ex gremio Vestro Matrem Superiorissam Triennalem ex charitate, & prudentià, ut Monasterio vestro præesse cum laude possit: Cæterùm mandamus ut Sorores, seu Matres ancianæ Moniales, quæ ausu temerario relegatæ asseruntur, ad Vestrum Monasterium, quàmtocyus redeant, & inibi voce activà, & passivà frui, potiri, & gaudere possint, votisquè, & ipsi totique Congregationi Beatæ Mariæ Virginis instituti prædicti Petri Fourier, & præsertim C Vestro Monasterio Pontificium nostrum Patrocinium ex animo pollicemur, dum accuratis, & iugibus precibus Vestris necessitates Ecclesiæ, & nos ipsos commendamus, quibus Apostolicam benedictionem paternè impertimur. Datum Romæ 7. Augusti 1680.

Vigore hujus Brevis Moniales elegerunt sibi in Superiorissam Catherinam Angelicam Levesque. Rex verò electione proscriptà, etiam Breve Apostolicum executioni dari prohibuit, tanquàm adversum Canonicis Cōstitutionibus, & libertati Ecclesiæ Gallicanæ. Quid velit nomine libertatis declarat. Salvà scilicet veneratione ad Sedem Apostolicam, quæ centrum est unitatis, & Ecclesiasticæ communionis, in quà sedet Ecclesiæ visibile caput, & Christi Vicarius cum potestate supremà ad ædificationem fidei, & conservationem Ecclesiasticæ disciplinæ, experientià cognoscimus, Pontifices homines esse, & ab humanis cupiditatibus non im- D munes: propterea distinguendum vel cum suà ducti opinione fallibiliter decernunt; vel cum revelante Spiritu Sancto infallibiliter procedunt; quod contingit, cum secundùm regulas Ecclesiæ universalis, cui Deus suam confert infallibilitatem, suas dirigunt operationes.

Doctrinam hanc ipsius esse sedis Apostolicæ, docuit Leo Papa; Hæredes esse non possumus Petri auctoritatis, nisi simus etiam iustitiæ eius, & Cælestin. 1. Dominentur nobis Regulæ, non Regulis dominemur. Concordant Gelasius, Gregorius, Zacharias docentes decreta Pontificum non obligare, si regulis adversa maiorum. Si Canones non custodiris, & Maiorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis. In A hoc consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ, non fulcita privilegiis, sed libertate, ad quam Christus suo sanguine nos evocavit.

His positis dicimus Breve Pontificium minimè Monialibus fuisse concedendum, ni priùs habità facti notitià. Credit enim Papa vigore Regiæ nominationis Mariam Angelicā Lemaistre violenter intrusam in Monasteriū de Charonne; cum tamen ex edicto Archiep. Parisiensis 8. Novemb. 1679. occasione dissidii, quod magno scandalo, & bonorum dilapidatione fatigabat moniales, ipsa Maria Angelica coacta fuerit in virtute S. Obedientiæ se transferre ad dictum Monasterium, Monialibus minimè reclamantibus. Aliquas autem Moniales remissas fuisse ad Monasterium in Lotharingià, undè exierant, quià bello sæviente conspirassent illæ cum hostibus Regni.

Pontifex, si ad exemplum Dei, qui ut inquireret quæ dicebantur, priusquàm iudicaret, voluit de Cœlo descendere; veritatem voluisset perquirere accusationis, Religiosam non condemnasset, quæ alio crimine non tenetur, quàm Obedientia ergà Episcopum suum, pro reparatione Monasterii suæ Diœcesis.

Nimis rigidè etiā incessit Pontifex adversùs Regē Christianissimum, qui etiam si aberrasset, non erat prò levi piaculo, tam rigidà censurà notandus; vel arguendus servatis concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. quorum vinculo adstringitur Papa se abstinere à iudiciis in Regno Galliæ, causis exceptis Appellationum; quo in casu Commissarios Gallos delegare tenetur, nè magno Gallorum incommodo exire cogantur extrà Provinciam. Qualis autem in præsenti processit cognitio causæ apud iudicem ordinarium, ut Romam sit provocandum! Romanum Pontificem ut Patrem venerabimur quousquè nos recognoscet in filios, non in mancipia.

C Executione ergò negatà Brevis Pontificii, Parlamentum citari mandavit omnes, qui participes cum Monialibus Curiam excitassent Romanam. Non defuere tamen, qui iudicium hoc scripto typis dato redarguerent, ut in suprà citato libello Recuil de divers, &c. dicentes Monasterium Monialium de Charonne Ordinis Regularis S. Augustini, diœcesis Parisiensis erectum fuisse An. 1643. à Margheritā Ducissà Aurelianensi domus Lotharingæ, bonis dotatum eiusdem Ducissæ eà conditione, præmisso Regis consensu, & adprobatione Alex. VII. R. P. die 11. Augusti 1656. ut Magdalena de Svecè quoad viveret præesset huic Monasterio. Post eius obitum, Moniales more Canonico Superiorissam eligerent, quæ per triennium regeret Monasterium. Magdalenà mortuà, volentibus Monialibus An. 1673. ad electionem procedere, obstitit Archiep. Parisiensis, qui specie œconoD mia, vigore edicti Regii (quod Brevèt appellant) intrusit in Monasterium Madame de Querueno monialem Benedictinam nullà petità licentià Apostolicà: immò à Curià Romanò titulo minimè impetrato Abbatissæ, nec dispensatione transeundi ab ordine S. Benedicti ad Canonissas Regulares S. Augustini. Hæc cum morte obiisset repentinà An. 1676. & Moniales crederent ad electionem procedere; evocatà per Archiepiscopum Angelicà Lemaistre Ordinis Cisterciensis nullo indulto Apostolico, petito quidem, sed semper negato monasterio præficitur titulo Abbatissæ perpetuæ.

Vim illatam, & frustrà expositam Regi, & Parlamento licèt Papa cognosceret, dissimulavit patienter donec An. 1680. 22. Ian. furente Archiep. Parisiensi, dum Mo-

Moniales Deum invocabant, psalmos recitantes poenitentiales, dicta Angelica Lemaistre magnâ sacularium stipata catervâ violenter immittitur in clausuram monasterii, contrà regulam instituti, quâ tenentur solo Matris Superioristæ titulo, & ad tempus, Monialem sibi praficere.

Si hac vera, de quibus nemo dubitat (cum Monasterium de Charonne per horam tantum Parisiis distet) poterat nè Papa praterire sponsas Christi, videns eas spoliari liberâ electione transferendo monialem professam ab Ordine Cisterciensi ad Ordinem S. Benedicti absquè indulto Apostolico; regulam subverti fundationis, Superiorissam temporaneam mutando in Abbatissam perpetuam, spretis Conciliis Æcumenicis, & Constitutionibus Apostolicis? Hac omnia patent ex publicis scripturis, putà Regio diplomate, Bullâ Alex. VII. ordinatione Episcopali, quâ Angelica instituitur Abbatissa perpetua, eodemquè actu declaratur Ordinis esse Cisterciensis, omniaquè agi vigore Regii diplomatis. Nec iuvat hac omnia fieri decreto provisionali, donec à Sede confirmetur Apostolicâ; nemo enim non videt per hanc clausulam derideri Pontificem; cum Papa apertè negaverit eum confirmare.

Minùs officiosè egisse Pontificem adversùs Regem, verba redarguunt decreti Apostolici, in quo nè Regem offenderet, eos damnat, qui pretextu Regiæ nominationis, &c.

Vocabulum accusant fautoribus; quid minus dici poterat contrà Archiep. & Officiales, ac Patrem de la Chaise Iesuitam, nonnullosquè eumdè iactantes, quòd contra literas Apostolicas iudicium essent procuraturi Parlamenti?

Obiicitur, non nisi per appellationem licere implorare Sedem Apostolicam vigore Concordati inter Leonem X. & Franc. I. Sed hoc verum in causis ordinariis; secùs ubi iniustitia est manifesta, nec patitur dilationem, & appellatio est possibilis; quod non erat in prasenti, ubi interposito diplomate Regio Archiep. in suà ordinatione declaraverat expectandam esse Bullam Pontificis, qua tandem advenit irrita declarando acta Archiepiscopi.

Accedit; quod licèt vigore Concordati Causa Minores non deferantur ad S. Sedem nisi per appellationem. Causa tamen Maiores immediatè deferuntur. Inter Maiores porrò hac maxima, in quâ agebatur, an Insciâ Sede Apostolicâ daretur Archiepiscopo Monialem professam transferre de Ordine ad Ordinem? Regulam mutare Instituti? Superiorissam temporaneam mutando in Abbatissam perpetuam vigore Regii diplomatis in eo monasterio, quod Rex non fundavit, nequè dotavit.

Quòd Papa notitiã facti nõ exegerit ab Archiepiscopo? Respõdetur, quòd in facto publico, & notorio inquisitio non erat necessaria; immò indecora, si ad memoriã revocetur epistola scripta antè biennium eidem Archiepiscopo à Sede Apostolicà, cui responsum dare minimè dignatus est.

Obiicitur eandem primò, & novissimè per Breve Apostolicum scriptum Monialibus de Charonne, pessundari libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, qua in hoc consistit, ut Pontifex sacris Canonibus subiiciatur tanquàm persona particularis. Vt Pontifex verò supremus, secundum eos Ecclesiam regat Vniversalem, non autem potestate Monarchicâ, ut faciunt Reges terra.

Resp. si hoc verum, cur à Canonibus dispensari per Romanum Pontificem petit quotidie? Quo titulo Abbates seculares Abbatias Regulares S. Benedicti, & similes tenẽt in Comendã perpetuã, cõtrà Canonũ dispositionẽ, à quibus beneficia Regularia nonnisi Regularibus permittuntur; & secularibus secularia? Cur Episcopi de uno in alium transferuntur Episcopatum etiam absq. causę cognitione? Dantur Coadiutores, qui Episcopis, & Abbatibus necessariò succedunt? Beneficia quomodò cumulantur in unà personà? Rex quo iure gaudet nominatione ad Beneficia, & dignitates Ecclesiasticas? Parlamentum quo titulo nominat ad Beneficia secularia, & regularia, si summam non excedant librarum 600. Dicat Procurator Generalis Parlamenti quomodò carnaliter commisceantur cum consanguineà Reges, Principes, & ipsi affines ducant consanguineas? nisi à Sacris Canonibus dispensante Pontifice, quem Canonibus volunt subiectum.

Esto tamen, quòd sacri Canones sint servandi; cur ergo querali aberratis, quandò Papa vos revocat ad observantiam Regulæ Canonissarum S. Augustini, & Vrbanistarum, ut Superiorissa temporanea eligatur à Monialibus, non Abbatissa perpetua ab extraneis: quòd Monialis professa non transeat de Ordine ad Ordinem?

Obligant Canones Abbatem de Clugnii eligi per libera suffragia Religiosorum congregatorum in Capitulo: & tamen suadente Parlamento Abbatia transfertur in Comendam, reclamante Papà, nè Ordo nobilis confundatur, qui propterea ab Annis octa iacet acephalus.

Decernunt Canones, S. Spiritus Prioratus; officia, dignitates S. Lazari distribuendas esse Equitibus horum Ordinum per potestatem Spiritualem ad similitudinem aliorum bonorum Ecclesiasticorum; & tamen suadente Parlamento per manum laicam supprimitur Ordo S. Spiritus, ut incorporetur Ordini S. Lazari, reclamante Papà.

Volunt Canones ut cum Monasteria à priscà disciplinà declinant, hac restituatur, & reparetur per monachos eiusdẽ Monasterii, vel Ordinis, quibus deficientibus possit tũc secularibus tradi Monasterium. Quibus prateritis, cum velit Gallia secularizare monasteria deformata ob solam culpam Abbatis Commendatarii; Papa recusat, nè diminuantur patrimonia Sanctorum.

Canones prohibent Regalia submitti Ecclesias; Lugdunense Concilium abusum tolerat solùm in iis, ubi viget consuetudo immemorabilis. Parlamentum Regi suadet, ut extendat ad Ecclesias etiam immunes. Quis ergò profanat Sacros Canones Papa, vel Parlamentum?

Negatur in Monasterium de Charonne violenter intrusa Abbatissa; & tamen ianua stat adhuc veritatis testimonium, refracta, & tabulis reparata, unà cum contradictione, & planctu Monialium, qua eam suscipere recusabant, & recusant. Adiiciant violentias illatas Vrbanissis Tholosa, Montis Albani, Metensibus, Hospitalariis Peronna, &c.

Negant Advocatus Parlamenti immissam Abbatissam in Monasterium non ex Regio diplomate, sed ex solà ordinatione Archiepiscopi, donec opus fuerit, ad reparandam malam administrationem, & evitandam ruinam monasterii; redarguatur ex mandato ipsius Archiepiscopi, Novemb. 1679.

Franciscus ex miseratione divinà, & Sedis Apostolicæ Archiep. Parisiensis, &c. nostræ in Domino filiæ Mariæ Angelicæ de Grand Champ Ordinis Cisterciensis, anteà Priorissæ de Rosme salutem, & benedictionem. Viso Regio diplomate, in quo Rex per-

personam tuam SS. Patri Papæ nominat in Abbatissam, vel Superiorissam perpetuam Monasterii de Charonne, ob obitum Mariæ Franciscæ Elisabethæ de Querveno ultimæ Abbatissæ habitâ noritiâ habilitaris tuæ &c. Nos Archiep. supradicti in executionem Regiæ voluntatis, nt reflorear disciplina, & regimen temporale reparetur dicti Ordinis prudentiâ, & experientiâ tuâ, te elegimus, & eligimus virtute præsentium in Superiorissam de Charonne, modo provisionali, donec adveniat Bulla Sanctissimi, cum potestate regendi, & gubernandi tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, &c.

Iisdem fere verbis Regium etiam est conceptum Arrestum, exceptâ elausulâ provisionali, quæ ut mendax & contradictoria præterita est.

*Prudentia laudatur Angelica ab Archiepiscopo, & experientia pro regimine monasterii, quamvis nec per diē regulum subiisset S. Augustini; malè ergò decernunt Canones experientiam præsumi ex pluribus Annis professionis in eo monasterio, cuius assumitur regimen.*

*Negligenter fuisse administrata bona Monasterii, Archiepiscopus accusat, sed iniustè: nō enim ignorat, quātū debeatur illis Monialibus, quod tamē exigere nō permittūtur. Quā utiliùs incubuisset ad reparādū monasteriū collapsū, exactionē creditorū procurādo, & nō in Abbatissā promovere Monialē extraneā, arcana Monasterii minimè edoctam, delitiis assuetam. Palàm fecit sanè quantum conferre cogitat utilitati huius monasterii, œconomiâ adhuc monialibus incognitâ, quæ in hunc diem sanctam, & humilem servarunt paupertatem, ipsa tanquam matrona nobilis duabus utendo famulabus, tapetibus, pluvialibus baculo argenteo, mensâ splēdidâ. Hæc forsan instrumenta ad reparandam domum paupertatis? Septuaginta huius Ordinis monasteria alit Gallia; nec una in tantis monialis est, quam Archiepiscopus præficiat Monasterio de Charonne, sed cogatur extraneam vocare?*

*Excusatur tandem exilium Monialium Lotharingarum, & quòd inutiles panem manducarent filiarum; & quòd tempore belli cum hostibus in Regem conspirarent. Si hoc verum, cur tàm serò Archiepiscopus monasterium exoneravit pauperrimum; & Galliam exploratoribus pessimis, quas posteà restituere volebat, si novæ se submitterent Abbatissæ? Veritas est, quòd exemplo suo cæteras ad constantiam excitabant.* Ex his patet iniustitia iudicii.

Convenère post hæc, die 19. Martii, 1681. Parisiis Decem Archiep. & 40. Episcopi, exponentes per scripturam oblatam Regi, nomine Procuratorum Generalium Cleri Gallicani, querentium, quòd Papa seductus ab æmulis Gallici nominis plura edidisset in præiudiciū Legis, & libertatis Gallicanę, Canonū, & Concordati, cuius debet esse venerabilis observantia. Accusarunt præcipuè Breve sub 18. Decemb. quo condemnatur Arrestum Parlamenti Parisiensis sub die 24. Septemb. 1680. in quo explicantur leges Regni ad tutelam auctoritatis Episcopalis. Itē Breve Regi directum, quo damnatur *Regalia*, tanquā verbis conceptum rigidis, & iniuriosis. Brevia omnia directa Episcopo Appamiensi, & Archiep. Tholosano, in quo ipse Tholosanus excommunicatur. Breve in causâ *de Charonne*. Breve sub 18. Decemb. 1680. in quo liber damnatur *de causis maioribus Gerbais doctoris Sorbonistæ.* Plura congesserunt iustè quidem in laudem Regis; elegerunt posteà

A sex Comissarios, Archiep. Rhemensem, Ebrudunensem, Albygensem; Episcopum Augustodunensem, Rupellensem, Trecassensem, qui supradictis examinatis, ità respoderūt, ut ex pag. 409. citati libri *Recueil, &c.*

*Circà Regaliam credimus, principia Papæ, & Regalistarum ex diametro se opponere. Dicit Papa ius Regalia emanare ab Ecclesiâ: Regalista ius esse Regale, temporale, & inseparabile à coronâ. Papa Concilio adhæret Lugdunensi II. à quo non licet recedere, Rex negat se Concilio subiectum in causâ purè civili: propterea Prædecessores suos nullum potuisse inferre præiudicium iuri suo. Ratio si istis fuit ad conservanda privilegia Regalia in quatuor Provinciis; fortiorem esse Regi viventi, ad redimendum ius suum in reliquis Ecclesiis, in quibus iacebat diminutum occasione asserti Concilii; vel* Iudicia nonnullorum Episcoporum.

B *negligentiâ suorum Officialium. Ius hoc tanquàm merè Civile nulli subiicitur Magistratui Ecclesiastico, sed soli Regi, qui uni Deo rationem reddere tenetur. Resistet Papa Bullis suis; eas abusivas declarabit Parlamentum tanquàm attentata contrà ius purè temporale. Interim Palatini, Officiales ruinam urgebant Ecclesiasticæ Iurisdictionis, & populum concitabunt adversùs pastores suos. Meliùs ergò Regaliam asserere etiam ubi non est; quam Regem concitare adversùs Ecclesiam. Sic in Lugdunensi Concilio Gregorius X. unà cum quingentis Episcopis merita perpendendo Gallorum, qui Ecclesiam liberaverant ab Hæresi Albingensium; & quòd Philippo Francorum Regi resistere haud possent absquè evidenti Ecclesiæ discrimine, tutiùs crediderunt Sacrosanctæ Synodi decreto abusum adprobare Regaliæ, quamvis abusus iste inolevisset*

C *contra decreta Conciliorum præcedentium. Concludamus ergò cum Ivone de Chartres.* Dicent forsitàn fortiores fortiora, meliores meliora; nos pro mediocritate nostrâ sic sentimus, non legem in talibus præscribentes, sed propter vitanda majora pericula Ecclesiæ, necessitati temporum, si commodiùs fieri non potest, cedendum esse intelligentes.

*Iudicium libri D. Gerbais de causis Maioribus elaboratum à Comissariis; sic D. Davidis declaratione receptâ adprobavere.*

*Causam* de Charonne, *&* Appamiensem *dixere perperàm assumptum à Summo Pontifice, qui iudicare non permittitur incognitâ causâ, & absquè* medio, *idest in solo casu* appellationis, *postquàm iudicata est ab Ordinario loci. Quo etiam in* appellationis *casu, debet*

D *delegare* Commissarios, *ut* juxtà Africanum Concilium, quæcumquè negotia in suis locis, ubi orta sunt, finiantur. *Quemadmodùm etiam pactum est inter Leonem X. & Franciscum I. iuxtà regulas à quibus Gallia vult potiùs mortem subire, quàm recedere.*

Nec *obstare, quòd* Causæ Majores *etiam non interpositâ* Appellatione *possint iudicari à Sede Apostolicâ;* Nō *enim* Majores *dicuntur, quas utilitas, vel* Romanum *arbitrium* Majores *decernit; sed quæ expressè in sacris Canonibus recitantur iuxta illud:* Omnes quæcumquè causæ, exceptis majoribus in jure expressè denominatis.

*Propterea invocandum esse ut Summus Pontifex decreta revocet; quòd si noluerit, Concilium congregandum esse* Nationale *ad tutelam libertatis Ecclesiæ Gallicanæ, exempla imitantes Philippi I. contrà Urbanum II.* Philippi *Pulchri contra Bonifaciū VIII. Caroli VI. VII. &* Ludovici *XII. contra Iulium II.* Ut quod hodiè exemplis tuemur, sit inter exempla futurum. Hinc

om-

Digitized by Google

omnia hæc typis dati voluerunt .

Hæc Gallorum Episcopi ad Pontificem Sanctum, cum gravi sollicitudine eorum procuraret libertatẽ. Quid ab Anno 1681. contigerit, usquè ad 1687? igooramus. Vna nobis occurrit epistola, quà Archiepiscopum Tolosanum morbo laborantem lethali *Innocentius* charitate paternà excitat ad pęnitẽtiam . Præobiit tamen Tolosanus, priusquàm literas acciperet Pontificias .

*Venerabili fratri Iosepho Archiepiscopo Tolosano. Innoc.* P. P. *XI.*

Innoc. XI. admonitio erga Tolos. Archiep.

*Venerabilis frater, statueramus nullas ad te amplius litteras, nec ullum aliud communionis* Nostra *signum dare, ut, hac saltem pænà, quam* Catholici *omnes semper gravissimam existimarunt, te ad ea, qua perperam egeras, reparanda induceremus. Cum tamen allatum nobis sit, te variis ęgritudinibus iamdudum laborantem, in maximo versari vitę discrimine, Charitas Christi, qua urget Nos ac de tuà ęternà salute vehementer anxios reddit, ultimum hoc* Nostrę *sollicitudinis officium à Nobis expressit, quo te nondum sicuti confidimus, in duritiã cordis collapsum ad spem de* Divina *misericordia concipiendam excitaremus. Verùm quia Vana spes est, qua fructum non parit, te etiam, atque etiam in Domino hortandum duximus, ut redeas ad cor, & animo reputando qua, & quanta in* Apostolica *Sedis, ac in Ecclesiarum Iura, libertatemquè commiseris, non solum doleas, sed etiam emendare pro viribus studeas, qua, ut Hominibus placeres, perpetrasti contrà Sanctimoniales Vrbanistas, & Virgines, ut vocant de* Infantià Domini Nostri Iesu Christi, *quarum Institutũ à te, atq. à predecessoribus tuis approbatum, ac magno semper in pretio habitum, atquè huius Sancta Sedis confirmatione munitum, evertere non ita pridem tentasti, dispersis duabus earum familiis, qua ( ut audivimus ) ingenti cum laude, ac fructu in istà Diœcesi tuà, Christiana Charitatis munia obibant. Omnium verò maximi refert, ut revoces, qua in negotio Regalię adversùs pia memoria Franciscum Episcopum Appamiensem, & universum eius Capitulum, & Diœcesim etiamnum fado schismate à te excitato miserè afflictam, & criminibus, ac Sacrilegiis obrutam, & contra ipsiusmet Ecclesia tua Iura à te gesta sunt. Et quidem in his omnibus Nos potiùs, ac redarguentem conscientiam tuam audire debes, quàm perniciosa eorum consilia, qui excusantes excusationes in peccatis, adipiscendę venia tibi viam pracludunt. Nec enim antè Tribunal Christi tibi aliud proderit, quàm pænitentia, & male gestorum emendatio, quam ut assequi merearis intercessores apud Deum inprimis adhibere debes pios illos Sacerdotes, ac Virgines, quos tot damnis, ac ęrumnis affecisti, vel ut afficerentur, author, & adiutor fuisti, dum Nos illam tibi à Divinà Bonitate impẽsè auguramur. Datũ Roma 15. Iulii* 1687

Turcæ Viennã obsidẽt.

30. *Vienna Austria.* Difficilia quæ pulchra. Ad saxum venimus perpolitum, cui volumen non unum satis. Arma referam, vel miracula? non sinè miraculis arma. Cum tercentis millibus bellatorum in necem Christianæ Religionis incubaverat Barbarus Ottomannus Viennæ Austriæ, in Moraviam secedente Leopoldo I. Imper. spectaculo miserabili. Tantam expeditionem Annis decem iostruxerant Turcæ sperantes unà in urbe Orbem expugnare universum. Irruptionem cum prævidisset Innocentius XI. P. R. ab exordio Pontificatus, percusso nummismate ( n. 1. ) in quo Petrus penè naufragus A clamat, *Salva nos Domine*, nihil magis in votis habuit, quàm pacem inter Principes conciliare, undè gemino percusso nummismate (quod habes n. 4. & 5.) gemitu incessanti, Christum Crucifixum verbis fatigabat Psalmistæ, *Fiat pax in virtute tuà*; interpretes excitans alio nummismate, Principes Apostolorum Petrum, & Paulum sub lemmate, *Audite voces supplicum*, ut ex n. 3. Pio V. Pontifice non minùs pius (cuius vexillum *Ioannes Paulus Odescalchus* Legatus Apostolicus An. 1571. explicuit in Turcas) epistolas adiecit paternas ad Principes Christianos, sententiis graves, quibus tandem pacem extorsit, & impetravit, ut ex nummismate n. 6. *Fecit pacem super terram*. Sedatis in Belgio motibus inter Hispanos, & Gallos : Gallo reconciliatis Liguribus, quorum B dissidiis incendium imminebat non tàm Italiæ, quàm Reipublicæ Christianæ; eodem tempore aurũ (quod belli nervus ) diligentià coacervans assiduà non sinè avaritiæ suspicione apud eos, quorum prudentia nõ est prævidentia ; Viennæ tandem obsidione cognità, minanti tyranoo se brevi adsuturum Romæ obiecit primò petram fidei, percusso nummo, quem habes n. 9. sub epigraphe *In sæculum stabit*, apertoquè Iubilæo ad orationem, ieiunia, eleemosinas Christianam excitavit Rempublicam.

Auxilia mittit in Turcas.

Evocatis indè ad tutelam Sarmatis, lentoquè gradu in fœdus coeuntibus ( quòd in frequentissimis comitiis unus tantùm si dissentiens, expeditionem impediat ) calcaria addidit auro usquè in hanc diem supra duos milliones Cęsari, & Sarmatis distributo ex redditibus Ecclesiæ, ultrà argentum ex suo patrimonio collatum; nepotem suum *Livium Odescalchum* munificentiæ non inferioris Principem decem millibus nummorum urbi C accurrere coactum obsessæ, sic viritim conferre Cardinales excitatos; vicit tandem, ut cum eo Cæsar, *Ioannes III. Subieschi* Rex Poloniæ, Veneti fœdus iurarent in Turcas, percusso nummismate n. 9, in quo sub columbà figura Spiritus Sancti, thiara Pontificia, corona Imperialis, diadema Poloni, & Cornu Venetorum insonant *Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi*. Ipsequè Rex Polonorum cum suis Sarmatis, zelotypià præteritã, quà Regem in castra descendere non sustinent, obsessis accurreret auxiliaris.

Fœdus in Turcas.

Præmium hoc è Cœlo datum ei, qui pater Christianorum filios omnes æquo iure respiciens, fœdera respuerat adversùs Christianos, sequester semper, & caduceator incedens inter Principes Christianos, Gallos præcipuè, & Hispanos, nè illi phalangibus suis Italiam funestarent, ut sæpè fecissent, ni Sancti Pontificis precibus illigati. CosaKos eodem tempo D re ad Boristhenem Polono iunctos immisit in Turcas; *Bannum* Croatiæ fulcivit auro; Morlacos commeatu iuvit, Venetis triremes Pontificias cum Hetruscis, & Melitensibus, duabus Ianuensibus bello sæviente commodavit. In Germaniam Cęsari non solùm omnia abundè concessit, sed hospitalia erigi mandavit, in quibus milites curarentur infirmi, & saucii. Principes Terræ Gallos, Hispanos, Britannos, ut coirent in Turcam, verbo, & exemplo vocavit, de Sanctorum auxilio minimè dubius, quos diu, noctuquè lachrymis excitabat, & orationibus. Nummus consonat n. 11. in quo Ecclesia cum epigraphe, *Dominum formidabunt adversarii eius*. Nec defuere Sancti: pannico terrore obrutis hostibus, cum Vien-

Hospitalia erigit pro militibus infirmis.

Vienna obsidione liberatur.

na penè expugnata, post sexaginta attrocissimæ obsidionis dies, quibus *Ernestus Rodigerus Comes Staremberginus* urbi præpositus constantiâ propugnaverat invincibili, irruente gloriosissimo Polonorum Regi *Io: Sobiescbio* cum celeberrimo *Carolo V. Duce Lotharingo*, Turcæ numero, castris, commeatu fortes vix evaginato ferro cum lacessere valuissent venientem fugâ ignominiosâ cesserunt campo, amissis tormentis, annonâ, papilionibus, pecuniâ, bubalis, curribus, camelis, suppellectile, totoquè commeatu, ipsoque exercitu dissipato, Christianorum non quidem gladio (qui itinere fessi, & ob pabulationis inopiâ nonnisi post triduum hostem sunt insequuti fugientem) sed Deiparâ intercedente, Deum exercituum descendisse de Cœlo, adversùs Infideles, terror panniculus hostibus immissus est argumentum. Vnus enim ex nostris hosti videbatur centum; immò in fronte phalangis Matronam stare facie indignatam adversùs Turcas ipsi fassi sunt Barbari. Hine dies 12. Septemb. 1683. quâ prostigato hoste Vienna liberata est ab obsidione, *Deiparæ Victrici* consecrata est ex mandato *Innocentii XI.* Officio Duplici toto in Orbe recolenda.

Victoriæ in Turcas.

Agnovit tunc Respublica Christiana, qualia fuerint vota Pontificis, dum pecuniam congererer, indè nummus 12. percussus, in quo mater lactans puerum sub epigraphe, *Non quærit quæ sua sunt*. Victoriæ testis nummus 13. accedat triumphalis, in quo vexillum Mahumetanum Pontifici dono missum à *Rege Poloniæ*, Virgini dicatum Matri sub epigraphe, *Sub tuum præsidium, post Turcas ad Barkam cæsos* ab eodem Rege Poloniæ, occupatoque Strigonio cum oppidis adiacentibus, & pagis supra mille. Nuntio accepto *Innocentius* gratias publicè Deo solvit distributis in alimoniam pauperum quatuor millibus nummorum, apertisquè carceribus ad liberratem eorum, qui debitis gravarentur vel delictis; creditoribus ære æqualiter retributo: delinquentibus verò pœnâ mitigatâ. Secretarium Regis *Talentum* nomine aureo donavit torque ponderis librarum quinque cum nummismatibus argenteis, & aureis, Cardinalis Franciscus *Barberinus* regiâ munificentiâ donavit eidem Crucem lapillis intextam pretiosis, pretii ducatorum 1500. Princeps Pelestrinæ, eiusquè coniux Crucifixum aureum Regi miserunt; Nuntio pretiosa munera. Tantæ victoriæ appendix fuere expugnatio Neoselii ad Nuriam amnem Anno 1685. deditio Cassoviæ, ac cæterarum Vrbium, quas Montanas dicunt in superiori Pannoniâ; Comitatus Tarantasiensis, & Zongradiensis: Claudiopolis in Transylvaniâ; Possega in Slavoniâ; Buda Vngariæ caput; Quinque Ecclesiæ, Alba Regalis; Mursa Italicè *Essek* cum urbibus adiacentibus, & centennis fortalitiis, sex Annorum spatio expugnatis, quæ viator si oblectationis gratiâ invisere cupiat, citiùs non excurret, quàm Cæsar expugnaverit. Pro coronide tandem Alba Græca in Rasciâ provinciâ cum oppidis adiacentibus duce expugnata Maximiliano Electore Bavariæ, undè Bizantium usquè miles valeat excurrere Christi. Tantos triumphos ornavit Pontifex percussis nummismatibus XIV. & XVII. in hoc Michael Archangelus Luciferum prosternit fulmine, sub lemmate *In Cœlo semper assistitur*. In illo Crux Salvatoris inter turbines inconcussa, *In perpetuum coronata triumphat*. Crucis sanè, & Crucifixi triumphus, qui castra ducit Christianorum. Hinc nubes in speciem Aquilæ in hoc novissimo Austriadum ad Sielos, & Dravum fluvium discrimine visa de Cœlo conterere Barbarorum phalanges; ut quemadmodum ex columnâ Nubis, vel Ignis Deus agnosci voluit adesse in castris Hebræorum; sic experiamur Aquilam nobis adesse Pontificiam. In expugnatione etiam Castri Novi pilâ tormentariâ percussus in pectore Comes *Grispoldus* quod nummismate armaverat sibi donato ab *Innocentio XI.*, supervixit immunis. Huc spectat nummus XIIX. in quo spes Christiana cum epigraphe. *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, Domine*.

Victoriæ Venetorũ in Turcas.

In Mari non minores Veneti subiere triumphos expugnatâ Leucatâ usque in Acarnaniam, Nicopoli, Ambraccii Sinu, totâ Peloponeso provinciis octo peninsulâ grandi inter Patras, & Naupactum gravida mari spoliarunt Barbaros gladio Francisci Mauroceni, & orationibus M. Antonii Iustiniani Reipublicæ Principum. In sinu Rhizonico Castrum Novum veteri restituerunt Imperio.

Huc faciunt nummismata XV. & XVII. Altera expugnationē exhibet Castri Novi, Duce Angelo An. 1687 Alterum in quo flexis genibus Innocentius Thracem Deiparæ monstrans fugientem, Britannum in sinum Ecclesiæ revertentem, canit, *Sub tuum præsidium*.

*Vrbe latens, Rhodanoquè patens prosternitur error*

*Thrax fugit ab cunctis Anglus fida redit*.

Nummus VII. VIII. & XIX. typum exhibent fidei Christianæ cum suis symbolis.

Nummus XX. imago est Misericordiæ, quæ satiè *hæreditas Domini est*.

Nummus XXI. typus est Iustitiæ, quæ regnante Innoc. XI. *de Cœlo prospexit*.

De Innoc. XI. plura scripserũt viri magni nominis. Lege Vitam S. Io: Chrysostomi Ferrariæ editam, librosquè ibidem editos, dum Legatum ageret. Librum, cui titulus, *Initia Pontificatus Innoc. XI.* typis Antonii Bosii. Anno 1677. *Vaticano Magnificato* P. Tondi An. 1683. Orationem Stephani Pignarelli, Eruæum in Dedicatorâ suæ Apocalypsis. *Fr. Franciscum à S. Augustino Macedo* in sua panegyri ad Innoc. XI. *Christianum Lupum Augustinianum* lib. de Appellationibus.

Digitized by Google

# ADDITIO AD VITAM INNOCENTII XI. P.P. CCXLII.

*Typis absolutis ante obitum Innocentij, et non editis; ad complementum sequentia adjce.*

nni Sa 1689 | Innoc XI A. XII

Vnum cum meditaretur ouile vnus pastor
Ægrotare [31] cœpit morbo alieno,
Discordiâ scilicet Christianorum.
Cui impotens superuiuere,
Abijt in viam Patrum inter Hymnos, & Psalmos;
*Vt obijt Augustinus Doctor Ecclesiæ.*
Vitam clausit Fidei Confessione, & Iuramento.
*Sic moreretur Deus, si mori posset.*
Moriens inclinauit caput,
Impotens genuflectere ad nomen Iesus:
Quod piè insonabat Cardinalis Pœnitentiari us.
Nepoti [32] duo legauit,
Primum: *Vt more Auito curam gereret pauperum, & infirmorum.*
Secundum: *Nè laicus se immisceret rebus Ecclesiæ.*
Non aliter adimpletur nomen Innocentij.

## ADNOTATIONES IN INNOCENTIO XI.

26 ADijce in pag. 17. num. 26. *De Regno Siami.* Rex Siami potentia, toto Oriente celeberrimus cum audisset regnare Pontificem in Sede *Innocentia* illicò per Legatos suos licèt alio sub Sole positus se sistit venerabundus. Gestijt tunc Roma videns homines moribus, lingua, ritu tàm longè distantes, humi stratos ad pedes *Innocentij*, suo in Regno Christianæ Religionis patrocinium flagitare. *Th. Stroza orat. in funere innoc.*

31 ÆGrotare cæpit. Die 6. Iunij Anno 1689. de eius salute Roma sollicita, orationibus, fletu Deũ exposcebat in Medicum. Ad sanguinis emissionem, Natura, dierum oppressa pondere declinauit in peius, vulneribus, nomis, phagedænis. Acerbitatem morbi *Innocentius* constantiâ sustinens, nouus Iob repetebat piè, *Domine auge dolorem, sed auge patientiam.* Die 8. Augusti sacro firmatus Viatico quieuit vsquè ad decimã D. Laurentio sactam, & circà sextam noctis su. epit Extremam Vnctionem de manu Sacristæ, eidem benedicens, ac cæteris de familia Vndecimâ Augusti ab Eminentissimo *Leandro Colloredo* Summo Pœnitentiario iterum de reatibus suis sacramentaliter absolui voluit, manibus suis (licèt animam ageret) caput aperiẽs in monimentum obsequij, & religionis ergà Sacramentum Pœnitentiæ, quod sanus magnoperè desiderauerat sibi in extremis repeti. Voloit etiam absolutione Sacratissimi Rosarij, ac Bonæ Mortis muniri, magnâ adstantium ædificatione, qui intimâ cordis tristitiâ prosequebantur morientem. Die tandem Veneris, duodecima Augusti, decubitus quinquagesimâ octauâ, animam eius commendante dicto *Cardinali Colloredo* vti summo Pœnitentiario, ad exemplum Cardinalis Ludouisij. qui cum esset summus Pœnitentiarius adstitit morienti innocentio X. & S. Caroli Borromæi, qui & ipse sum. Pœnitentiarius animam procurauit morientis Pij IV.) adstantibus P.P Generalibus S. Dominici, Carmelitarum discalceatorum, & Iesuitarum preces recitauit SS. Rosarij, & Litanias Beatæ Virginis, à quà pius, atquè deuotus suspirijs, lacrymis, capitis inclinatione, pectoris percussione patrocinium poscebat. Reperebat frequenter voce tamen intercisâ verba illa, *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Memorante Colloredo, quòd D. Augustinus moriens Psalmos sibi recitari mandasset; cũ annuisset Papa; illicò vt in choro Religiosi alternatim placidâ voce legère, & post Psalmos. Christi passionem, vt in Rituali Romano. Veniam postea petijt à familiaribus suis, & gratias egit de eorum charitate. Eccitanti Colloredo ad lætitiam, exemplo S. Theresiæ, quæ gloriabatur mori filia Ecclesiæ Catholicæ; respondit: *Vtinam mihi esset Saeræ Virginis spiritus.* Offerenti denuò Colloredo absolutionem Sacramentalem, compressâ manu, voce interclusâ annuit, semper remoto capitio. Fidei tandem Confessionem recitare impotens, eam legente Cardinali Colloredo, manu appositâ ad chartam, & osculo infixo sacris pedibus Christi Redemptoris, iurauit, & circà horam 22. cum inuocatione Sanctissimi Nominis Iesu expirauit Anno ætatis suæ 79. Mense 2. Die 23. Exenterato corpore, inuenere cerebrum sinè macula, cor medium inter paruum, & magnum, argumentum animi impauidi teste *Plinio lib. 2. cap. 37.* Cæterum in dissectione renum præ nouitate spectaculi, excitauit Anatomicus culter admirationem. Tunicæ, quas Adiposas vocant, solà opinione nominis in membranarum classe recenseri posse videbantur: cum planè crassa pinguedo præter morem diuersis, varijque generis tumoribus; mollibus alijs, ad hydatides, idest vesicas aquâ plenas reducendis; alijs autem duris, refertas, eas totas intertexeret; Ijs ablatis, veterum malorum origo detecta. Duo quippe calculi adeò insolitæ magnitudinis, & figuræ, vt penicillo potiùs, quàm calamo ad describendos opus sit, omnem vtriusquè renis cauitatem occupauerant; quorum dexter vnciarum sex, alter dodrantis pondo. Vterquè perindè ac fusili opere ductus, cum peluim, tum tubulos impleuerat, vix internoscendos, corruptâ figurâ; ac mole renũ nonnisi ex superstite glandulosâ, modicaquè crassitudine corticis, & præterea lapidum caniculis vaginalibus constante. Hic porrò naturæ potentiam, & artificium suspicere par est, quæ canaliculos in dictis lapidibus excauarat, per quos vrina ad vreteras sinè difficultate decurreret, quam ob rem factum est, vt nullo tempore vnquàm ischuria laborauerit. Reliqua vrinaria instrumenta sinè vllo vitio reperta. Vndè admirabile, quòd tanto pondere pressus vitam duxerit octogenariam. Signum hoc Prouidentiæ supernæ, quæ tot inter Barbarorum, & Hæreticorum discrimina eum Ecclesiæ præposuerat, auxilio apposito, vt diù viueret, qui mortem seruabat in renibus. Eius vestimenta ob deuotionem distribuere, ac sibi diuisere Magnates. Linteola ac gossipium eius aspersa sanguine cum veneratione distributa; donec cadauer translatum in Ecclesiam Sancti Petri, & in Capellâ Sixti expositum, iuxtà transennam ad oscula pedum; ea conuenit frequentia populi, vt breui ad memoriam S. Pontificis calceis, caligis expoliauerint, & recisis extremitatibus sacrarũ vestium nudum reliquissent, ni tempestiuè abstulissent custodes. Hinc exardens deuotio populi; irrepserunt ad portas interiores eiusdem Capellæ, quarum alterâ violen-

Mors Innoc. XI.

Deuotio populi ergà defunctum.

violenter reclusa, vestimentis discerptis, manus nudarunt asportatis chirotecis non sinè pia digitorum læsione, quasi violenter patrem repeterent, & vel mortuum sisterent ad Vrbis præsidium. Immissa propterea cohors militum, qui à violenti veneratione sacrum cadauer custodirent. Sacerdotes ablatà mithrà, pretioso sipario cooperuere corpus, facie tantùm & pedibus expositis ad venerationem. Sequenti triduo Sacer dotes delecti qui indeficiĕter populo satisfacerent, coronas precanas, & sacra nūmismata acciperent, & tactu sacrorum pedum consecrarent; donec die tertio in eadem Basilicà S. Petri, in tumulo temporario seruato cadauere, exequias celebrauere Cardinales ab eo creati, Liuio interueniente Odescalcho eius nepote, dispositis custodibus, nè iterum deuotio intempestiua exequias turbaret; vt de Ruffinà Paulinus testatur. *Videre mihi videor, illus pietatis diuinæ alumnos tantis influere penitùs agminibus in amplissimam gloriosi Petri basilicam, vt tota & intra basilicam, & prò ianuis atrij, & prò gradibus Campi spatia coarctentur.* Dotes Innocentij *valentes Romani tempori superesse, pheretro tabulus posuere sequentes.*

Inscriptiones positæ in funere.

I. *Geminum ab Auis Patrimonium sortitur, Sanctissimus Innocentius, Vtrumque amplissimum, virtutum alteram, alterum diuitiarum; Hoc liberalitate in Principes & in pauperes occulta, Minuit, Illud amplificat Pietate in Deum Singulari. Cælo semper affixus, Ac humana omnia infra hominem Ratus, Sua, suos, se ipsum, Vsque ad contemptum neglegit. Hac gemina virtute veteres complexus omnes, Piam illam excitauit audaciam, Venerabundi populi, extinctū Principem publicè spoliantis in feretro.*

II. *Conseruanda, & propugnanda Catholicæ Religionis, studiosissimus Innocentius nihil non molitur. Conatus Principum antiqua hæresum monstra profligantium, publicè gratulatur, commendat, & Promouet. Noua vero subnascentia decretis ipse profligat. Germanum, Polonum, Venetum, Moschum, armat in Mahometicam Impietatem, & precibus lacrymis, consilijs, auro, ferro suo & alieno innat armatos. Idololatriam in Siami, & Tunchini legatis, prouolutam ad pedes Paternè cāplexus, inuitat ad fidem.*

III. *Vt Iustitia secura per totam Vrbem incedat, & omni auaritiæ suspicione remota, Integra iudicijs præsideat; Vt collapsam morum disciplinam restituat, & diuinum in Sacris cœtibus & templis cultum adaugeat; Vt animarum præsides vbique optimos Populi habeant: & studium Virtutis latissimè accendat, & foueat, saluberrimas Sanctiones condit Æquitate, & pietate Maximus Innocent.*

IV. *Amantissimus Publici boni, & proprij contemptor, Optimus Innocentius, Caritatem Annonæ, quà cæteri circum populi premuntur, Sentire sua prouidentia singulari non sinit. Grauatum magnis oneribus Principatum vt releuet, de publicis Prouentibus, Aulicis parum attribuit, minimum sibi, nihil suis. Quam tamen cæteri ambiunt famam nominis, aduersatus, Immimutorum Vectigalium gloriam, noluit ipse sibi; Vt habere possent optimi Successores.*

Neapolis etiam quę Terræ motu concussa, manu & auro Innocentij (*50. aumq, nummorum millia ei erogauerat*) non exigua sui parte instaurata, præsidente *mati* Nuncio Apostolico publicè parentare voluit apud Regulares S. Hier. Eulogiaque scripsit sequentia.

Primū. Lauream annuens Doctoralem ei Neapoli collatā

*Roma senescenti tibi dat Benedicte Tiaram;*

*Nostra adolescenti primaque serta Syren.*

II. Alludit sepulcro Romæ. & funeri Neapoli celebrato.

*Tybris Odescalcu morienti præstitit Vrnam;*

*Flens lacrymis Funus cede Sebete flueas.*

III. Annuit iust a soluta in templo Deiparæ.

*Innoc. Peragātur in Virginali Delubrū sernlta. Si morienti fuit pro Libitina Deipara, Amicta Sole Regina, Militantis Ecclesiæ Ducem, Qui scripserat Maria Nomen in fastis, Sua mortis exautorat in die, Vt immortale referat pro adorato Nomine Numen, Ac Omine felici Dies vna elatos testetur in æternos dies, & Dialem. & Diam: Nec immeritò; Quem enim fecerat Benedictio Vicum, Innocentia Pontificem, probitas reddidit in magno munere maximū.*

Annuit amorem Ergà Fidem, Inopes, non seipsum. IV.

*Innocentio Hierarchia portento deperdita, Tuas perenna Nænias, Roma mærens, Sub hoc Dominante, Latère vidisti suos, licèt essent à Latere, Non dominari: Pallescere pro pallentibus aurum, Non repositum sed expositum necessitati non necessarijs. Sub hoc Imperante, Imperium fuit Augustum quà pietate, quà fortitudine, Pro dilatanda Fide, pro Mahometi domanda perfidia. Pugnarunt Germani, Poloni, Veneti, Muschi, Ad Capitolium spolijs exornandam, Turcarum Castris cæsis, fusis, dissipatis, effractis, Vrbium direptione deuastata Pannonia, Danubius fluxit in Tybrim. Sub hoc lauture, Fastis quàm sub primo (fas sit dicere) tutior. Si vixit, si moritur, A Gallo numquam exterritus.*

Auxilijs alludit immissis in Turcas. V.

*Innocentio, Prodigio Pontificatus erepto, Lacrymas persolue tuas, Vienna dolens, Vt Barbarorum oppressa nè caderes, Hostili obsidione soluta, In huc Petri Successore, Experta es soluendi potestatem adauctam. Angelus tibi fuit Romanus Antistes, Si ad tuæ libertatis tutelam operatus in distans, Pugnauit non minus ore, quàm ære, Alite Imperiali semper inuicto, Vt Vagaros perduelles extinqueret, Vt Africana Monstra discerperet, Fulmina ministrauit auro non ferro. Vnum tibi in tanta fato solamen: Si credas, Non obijsse Pontificem, Abijsse. Depositis Pontificalibus Ostris. Austriam propagnaturum ab Astris.*

Munificētiā annuit in pauperes oppressos motu Terrę VI.

*Innocentio, Totius Orbis Parenti perempto, Luctuosa illacrymare, Parthenope. Circumstent Præficarum more Syrena, Christi Vicarium à Superis lamententur ablatum, Cuius dextera Superiori anno, Non singularem innares porta Claudam, At popalam in Terræ tremitu inopia Claudicantem, Auri ope firmauit; Doctoratus Laureā à tuo Collegio in iuuentute donatā, largo munerans Cōgiario.*

Disticon super quatuor Mundi plagas diuisas in obitu Innocentij, vt in morte Christi.

*Scissus vt in Petras gemit Orbis Fata Tonantis*

*Scissus & in Partes hic quoque Fata gemat.*

32. Nepoti Liuio Odescalcho, post dies quinquaginta, quibus morbo impediente, patruū alloquutus iste non erat, accedenti, & consulenti, *Quid agendum in futurum? imposuit Consilium à Deo expectare: interim Maiorum suorum insequendo vestigia, curam gerere pauperum, & infirmorum. Rebus non se immiscere Ecclesiæ, neque Pontificis electioni futuræ Cardinalibus libertate permissà:* His dictis cum benedictione remisit, onere imposito soluendi centum millia *Scutarum* ad pias causas, quas ipse designauerat. Cui nepos generosè respondit? Ad maiorem pietatem adijceret (si placeret) ea, quæ ipse nepos iure sanguinis possidebat.

Mandauit etiam, vt ex pecunià Camerali restituerentur Monti Pietatis Centum, & decem septem millia Scutorum, quæ ipse in pauperes distribuerat; decreto reposito in Actis Publicis per Protonotariū Apostolicum, interprete Cardinali *Culloredo*, se excusauit cum Cardinalibus, quos omnes paternà, & Apostolicà benedictione amplectebatur. *Si eus non alloqueretur, tempore deficiente ad colloquium verum huius mundi. Rogauat successorē sibi dari, qui eius repararet errores suppleretque defectus. Pecuniam, quam coaceruauerat ad diminuenda onera gabellarum impenderet, quo vota fuerat congregata.* Adijcienti Colloredo: *Tantum adhuc temporis superesse, quo ipse decretum imperaret, atque subscriberet?* negauit, omnia successori remittens. Cæsarē licèt decies centennis aureorum millibus instruxisset; Polonum auro Viennam euocasset, tantū auri in pauperes Virgines, Vrbiū reparationē erogasset adhuc Cameram Apostolicā non solùm ære liberauit alieno, sed etiam ditauit. Plura reliquit Beneficia vacātia, & redditus Ecclesiasticos per successorē distribuēdos, vltrà Auri, & Argenti vim magnam Legationes plurimas, Præturas & decem Cardinalatus vacantes.

Google


I
FIAT PAX IN VIRTVTE TVA

II
SALVA NOS DOMINE

III
VERVS DEVS VERA FIDES

IV
AVDITE VOCES SVPPLICVM

V
NON QVÆRIT QVÆ SVA SVNT

VI

VII

VIII
NON DEFICIET FIDES TVA

IX

X
HABETO NOS FOEDERATOS ET SERVIEMVS TIBI

XI

XII
FECIT PACEM SVPER TERRAM

XIII

XIV


XV
CASTRO NOVO EXPVGNATO
1687

XVI

IN COELO SEMPER ASSISTITVR


XIX
ECCE HÆREDITAS DOMINI

XX
DE CÆLO PROSPEXIT

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA

XXII



# INDEX RERVM NOTABILIVM,

*Quæ hisce quinque voluminibus Romanorum Pontificum, continentur. Numerus* Marginalis *indicat* Tomum. *Secundus numerus idest* P. Paginam. *Tertius numerus idest* N. *numerum marginalem in eadem pagina.*



Digitized by Google

Digitized by Google

chæ Gradeas. Alphonſum excommunicat Regem Luſitaniæ. n. 12

3 *Alexandri V. Papæ antea Petri Philargi* effigies, inſignia, elogium, ſymbolum, in quo ad inſtar Solis percutiens primò cacumina montium, ideſt magnates iuſtitiâ ſuâ purgat ditionem Romanam. 440. natalia incognita, paupertas, ſtudia; curiam frequentat Io: Galleacii V. C. dignitates. Septuagenarius eligitur Papa. Dictus *Petrus de Candiâ.* Cardinalis dictus ab Innoc. VII. legatus in Petrum de Lunâ, *ib.* & p. 405. Opera *Balthaſſaris Coſſæ* Papa electus in Concilio Piſano. 441. p. 433. Conſanguineos non agnoſcit. Orat in Concilio de unitate Eccleſiæ Concilii acta confirmat. Concilium indicit pro reformatione, 442. an fuerit Papa legitimus n. 2. Papa dictus in *ſuâ obedientiâ.* Cur 443. ſinè culpâ aduratur. Vaticinium S. Malachiæ de ejus Papatu. Movet in Regem Ladislaum. Amat pauperes. Elogium de eo. *ibid.* Epiſcopus dives. Cardinalis pauper, mendicus Papa. Elogia de eo. 444. Vitiis notatur à Niemio, quòd *benè biberet*; inexpertus omnia concederet nullo diſcrimine perſonarum. Amat Fratres Minoritas. Spernit audire litigantes. *ib.* plura gravamina exorta occaſiona ejus liberalitatis. 445. Omnia permittit Balthaſſari Coſſæ, 444. Plura inaudita concedit Germanis; Archiep. Moguntino. Irregulariter diſpenſat in matrimonio. Niemins arguitur falſi. Elogia de eo. *ib.* Moriens verba facit ad Cardinales. Conſtantia in morte, Cardinalibus annuntiat pacem. Veneno tollitur. 446. Sepultura, epitaphium. Vindicat patrimonium S. Petri. Curiam diſponere Cardinali Coſſæ permittit. Bononiam trahitur non Romam à Coſſâ. Romanos ſuſcipit Legatus. Cardinalem S. Praxedis Vicarium mittit in Urbem. Excommunicat Petrum de Lunâ, ac Gregorium: in Rupertum Imperatorem excitat Uvenceslaum. Scripta. 446. delineatio ſepulchri Alex. V. p. 437

Alexandri VI Papæ, antea *Roderici Lenzolii Borgiæ*, effigies, inſignia, elogium, ſymbolum in quo Carolus VIII. Rex Franciæ pedes oſculatur Alexandri. 708. natalia, tempus nativitatis nepos Callixti III. ex familiâ Lenzuoliâ, inſeritur familiæ Borgiæ; ſtemma Gentilitium mixtum ex utrâque familiâ. Explicatio nummiſmatis. 709. Intemperatus quatuor filios procreavit ex Zanoziâ concubinâ. *ib.* filium Petrum dicit Ducem Gandiæ, quam auro emit. 710. Theſauros ab avonculo relictos, ſacerdotiorum vectigalibus auxit. Cæſarem dicit Cardinalem, mortuo Petro ſubſtituit, & facit Ducem Valentinum. Gotifredum filium facit Principem Squilacii. Lucretiam *quatuor viris ſucceſſivè*, notham tradit Duci Eſtenſi. Ingenii verſatilis: medioeris literaturæ. Opibus clarus. Officia, dignitates. *ib.* legatus ad Hiſpanos avaritiâ proſternitur. 668. Ob laſciviam corripitur à Pio II. n. 710. Comitatur Pium II. in Turcas 711. naufragium paſſus ex Hiſpaniâ rediens Corrumpit Cardinales. 709. p. 711. pompa coronationis: ſyncope corripitur. Vaticinium de eo. Symbolum ejus. Carmina in ejus coronatione. 712. nepotem ex ſorore Archiep. dicit, & Cardinalem. 710. p. 712. Iuramentum de non augendo numero Cardinalium interpretatur. Valentiam patriam ſuam donat iure metropolitano. Io: Cæſarem nothum dicit Archiep. Valentinum, & Pampilonenſem Juſtitiam mirabiliter exercet, die martis audientiam omnibus exhibens. 712. Bartholomæum Socinum maleſtate obrutum obmuteſcentem conſolatur: legationes Principum audit. Filium ſuſcipit Regis Neapolitani. Sponſalia ſolvit Beatricis filiæ Regis cum Uladislao, Polono. Luſitanos cum Caſtellanis componit, novo inter eos Orbe diviſo. 712. Creat Cardinalem Cæſarem Borgiam nothum ſuum; & Io: Borgiam Valentinum ſororis filium Archiep. Montis Regalis. Fœdus ſimulat cum Gallis, ut terrat Aragonios. Fœdus init in Gallos cum Aragoniis, nuptiis pactis Sanciæ nothæ Alphonſi Regis, cum Gotifredo notho Papæ. Monet Gallum ponere arma. 714. An Turcas excitaverit in Gallos. 715. Ferdinandum filium Alphoſi vocat in ſubſidium. Gallum admittit armatum. Ritus Papæ cum Rege. Non permittit ſibi pedem oſculari Zizimum tradit cuſtodiendum Regi. Briſſonetum dicit Cardinalem. 716. oſculum pedum ſuſcipit à Rege. Ziaimi mortem vendit Regi Turcarum. Cardinales creat omnes Hiſpanos. Male audit ob avaritiam Ferrarii Datarii ſui 718. Conſalvum donat Roſâ Aureâ ob victos Gallos. Arguitur à Conſalvo ob mores corruptos. Ducatum Beneventanum tradit Io: Borgiæ filio ſuo. Mœror ob cædem filii. Scommata in eum *ib.* fœdus init cum Italis in Gallos 717. cogitat deponere Pontificatum Mandat Cæſari Borgiæ coronare Ferdinandum Aragonium. 721. Solvit matrimonium Ludovici Aurelianenſis cum Ioannâ filiâ Ludovici Undecimi. *ibidem.* Mittit in Galliam Cæſarem Borgiam: Dat ei in uxorem *Carlottam Alabretam* Nuptias cupit Carlotæ Neapolitanæ, ut regnum filio pararet. Savonarolam excommunicat. 722 Aſcanium Sfortiam Cardinalem in vinculis patitur. Commendat Ducatum Spoletanum Lucretiæ nothæ. Io. Borgiam pronepotem legatum dicit ad Orbem univerſum. 722. Sermoneta, & aliis oppidis ſpoliat Caietanos, donat Lucretiæ. Iacobum Caietanum necat, cum prole ſuperſtite ejuſdem Familiæ. Regulos Eccleſiæ feudatarios ſpoliat: 723. Riarios ſpoliat. Vendit Cardinalatus, & diplomata Iubilæi dicens ſe conſumere peccata Germanorum. 723. Venetorum lege comprimitur, ne eorum ſubditis ſacerdotia vendat. *ib.* Ioannem Michaelium Cardinalem veneno tollit, ut ejus arcipiat divitias 724. Italiam occupare meditatur. Aſtorgium Manfredum fune tollit. Faventinos expugnat. Movet in Bentivolos. Gallos in Italiâ vocat contra Aragonios. 724. Florentinos, & Savunarolam excommunicat. 722. Abbatiam Ciſtercienſem tradit Juliano Cardinali. *ib.* Roma carnificina facta, in quâ aurum, vis, Venus imperabant. 723. Cardinalem legat *Gurcenſem* ad Maximilianum Imperat. 724. fœdus init cum Gallis in Fridericum Neapolitanum Regem. Arces accipit Columnenſes, & Gabellas. Deſcendit in caſtra, Lucretiâ nothâ relictâ in Laterano. Obſcœnis adeſt ſpectaculis. Lege Cleru caſtimoniam imperat: Regno ſpoliat Fridericum. 725. Lucretiam notham tradit Duci Ferrariæ, prodote diminuto vectigali Eccleſiæ debito, & oppidis aſſignatis Eccleſiæ Romanæ, *ib.* Gallum Regem liberat ab onere tributi Neapolitani. 726 ſimulat Urſino Cardinali velle renuntiare Pontificatum; Spoliat Urbini Ducem. Urſinos neci tradit; eorum bona publicat. Cardinales in carcere necat. 727. Prohibitus à Venetis, & Gallis ſævire in Urſinos. *ib. Trocium* ſupplicio damnat, & Iacobum *Crucenum*. Plures Romani magnates ſolum mutant. Nova officia cogitat, & ea venalia. Maranos Hiſpaniâ pulſos, Romæ ſuſcipit. Cardinales pretio creat. Cardinales ditiores veneno tollere meditatur. In hortis Cornetanis mortem bibit, quam aliis paraverat. *ib.* Obit Sacramentis munitus. Sepultura vilis. 729. delineatio Sepulchri ſuſpecta. 729. & p. 729. Dotes animi. Hoſtibus ſuis in exilium pulſis nihil dignitatis detraxit. Virtutes magnanimæ vitiis immixtæ. Liberalis ergà literatos, & milites Annonam procurat. Ædificandi ſtudioſus. *ib.* Romæ Gymnaſium reſtituit. Scripta ejus. 730. memoria funeſta: tom. 4. p. 7.

4 Alexandri VII. Papæ olim *Fabii Chiſii*, effigies, inſignia, elogium, ſymbolum, in quo Chriſtina Svecorum regina velut Saba coram Salomone, Alexandrum adorat. 595. natalia. 597 Studia Humana, poetica, Theologica Juri operam dans, publicas theſes propugnat Libros edit: Dotes animi, & corporis. 601. eloquentia. Sanitate corporis non firmus, Jejunio, cilicio corpus macerat. Libellum de *Imitatione* Chriſti latinum facit. Scholam ſequitur S. Franciſci Saleſii. Apophtegmata ejus. A fratre Auguſtu pecuniâ juvatur ut Romam petat. Charus Urbano VIII. Officia, dignitates. Legatur Coloniam Agrippinam in hæreticos. Adſtat morienti Galliarum Reginæ. Legatus ad pacam Monaſterienſem. 603. pacem improbat Oſnabrugenſem ſcripto dato in manu Cæſaris. 577. n 7. & p. 603. Officia Urbana. Vigilantia contrà errores Janſenii. 603 Ejus in manibus expirat Innoc. X. oculos claudit mortui Pontificie. In conclavi nemo audet Chiſio inficiari. Decretum manu ſuâ exarat, ut Pontifex futurus curam ſuſciperet belli in Turcas. Papa eligitur. Vaticinia de ejus papatu. Symbolum. 603. Pontificatum Deo refert. Nummi. 604. n. 3. Etiam ab Hæreticis plauditur. n 4. Sancta Pontificatus exordia. Sedere negat in medio Altari. Sarcophagum ſibi præparat. Affines non admittit. Reges excitat in Turcam. n. 5. Fratri, nepotibus prohibet Romam petere. In menſâ calvariam adiicit mortuorum. Vota ejus de Republicâ, non pro familia. Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, & Helvetios Catholicos juvat in hæreticos. n. 6.

Digitized by Google

Aloy-

Google

K niam-

Digitized by Google

*An-*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B





Digitized by Google

Fri-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

*Pa-*

Digitized by Google

C



expu-

Digitized by Google

mittit

Digitized by Google

Quin-

Digitized by Google

4 Chris-

Digitized by Google

terra nova, quia sub eo America Ecclesiæ claruit, & ei Ecclesia. 31. an primus barbam aluerit. 34. natalia an legitima. 40. p. 41. legationes, dignitates, tomo 3 p. 770. prænstat Papatum. to.4. p. 7. occurrit Hadriano VI. p 10. accusatur apud Hadrianum expilati thesauri Ecclesiæ. 23. in novo ambitu Pontificatus Columnã patitur adversarium. 39. quomodu conciliaret Columnam sibi adversum. 40 Dies electionis fatalis ei. Vaticinium de eius Papatu. 40 symbolum 42. cur Clemens dictus. Studia. 41. Comes Io: Medicei, qui fuit Leo X. Dignitates: Plura pietatis opera in Cardinalatu gessit. Meretricibus pœnitentibus erigit monasterium. n. 2. Parmam, Placentiam restituit Ecclesiæ. Insidias fugit. ib. Magno plauso susceptus ob gesta præterita, & præsentia. ib. Legatum mittit ad comitia UVormatiæ. Concilium offert generale. Monet Principes ut caveant à Luthero. 43 calumnia in eum, quod timeret Concilium. Questus ad Carolum V. de decreto Norimbergensi. 45. in Comitiis Spirensibus auxilia offert Cæsari, & Ungaris in Turcas. 60. filium Ferdinandi Regis Bohemiæ levat de Sacro fonte per Legatum. ib Tota Garmania labe Lutheri correpta. 61 Colloquium cum Carolu V. Bononiæ de futuro Concilio. Cur Concilium non crederet expedire. 63. Dat Carolo Sabaudo decimas ad Bellum Gebennense. Eum monet sacris abstinere, bello cessante. 67 Christianus excitat ad tutelam in Solymanum. 69 Hippolytum Mediceum nepotem legat ad Cæsarem in Turcas. 69. decem millia equitum offert in suppetias: ib. Improperanti libertatem Religionis datam à Carolo quid responsum: 71. non permittit Gallum descendere in Italiam. ib. Gratam habet libertatem datam nepoti suo à Cæsare. 71. Cæsari obuiam mittit Cardinales: Bononiam venit: ei Cæsar procumbit. 72 Dat gladium Cæsari. ib. Eucharistiam Cæsari ministrat. Ei Cæsar aquam effundit 73. Audit legatos Æthiopiæ; Lusitaniæ, & Germaniæ: ib. Indicit Concilium universale: 73. onsilia eius de affinitate iocundâ cum Rege Gallo, Cæsare reclamante. 74. Massiliam navigat ad colloquium cum Gallo. Nuptias celebrat inter Mediceam, & Henricum Aurelianum: ib. Tres Cæsare postulante Cardinales unum creat In gratiam Galli creat quatuor. Aduratur à Francisco I. Munera mutua, colloquiũ cum Gallo. 75. delusus à Gallo, Concilium suadet Cardinalibus. 76. fidem propagat in Mexico. 76. n 10. ibi per legatum celebrat Cõcilium; ib. Thaatinos, Cappucinos adprobat. 77. n. 11. Adprobat Somaichas. n. 13 Iesuitas, Bernabitas, Recollectos probat. n. 14. Concitatur ob Hispanam superbiam. 78. Gallo suadet non dividere copias. ib fœdus cum Gallo in Cæsarem ib. Capto Gallo, trepidat Papa. Fœdus cum Cęsare. 79. Mutinæ iura permittit Iurisperitis decidanda 79. Visitat per nuntium Franciscum captivum. 80. dispensat cum Carolo V. ut Lusitanam ducat. Multa ei indulget, ut pacem redimat. 81. fœdus cum Gallo, Venetis, Florentinis in Cæsarem, Hispanorum insolentia contrà curiam Romanam. Ejus copię à Cæsareis dissipatæ. 82. suâ avaritiâ Romanos in se concitat. Odii causæ 83 Pacem init cum Hispano. 84. Modica auxilia mittit Ungaris. Sacra vasa conflare constituit pro bello sacro. Movet in Columnenses: ib. Borbonio appropinquante Romę, inducias paciscitur cum Hispanis. Implet; Oppida restituit: stipendia numerat militi: decipitur n. 15. Cardinales pretio creat. n. 16. Componitur cũ Hispanis. Roma spoliatur. Mulctantur Cardinales: ipse captivus ducitur. 88. Culpâ à Cæsare in eum refunditur. 89. Calamitas prædicitur: Eam dolet Solimanus. Peste Roma deturpatur: ib Præsules tradit in pignus ut libertatem redimat, qui catenis onerantur 90. nummus de captivitate eius: ib. Gallorum copiis juvatur. Tædio libertatis paciscitur cum Hispanis. Templorum ornamenta cudit in pecuniam: pretio legit Cardinales ut militibus satisfaciat. 91. Habitu larvatus mercatoris fugit: ib. ditionem Ecclesiasticam usurpant Reguli Excitatus à Gallo injuriam vindicare se excusat 92. Plangit aspiciens Romam deformatam: ib. Pacem componit cũ Cæsare Recuperat urbes Ecclesię. Mercurinum Gattinariam dicit Cardinalem. 93. secundum colloquium Bononiæ habitum cum Cæsare. Ritus quo Cæsarem suscepit. 94. oblata ei obsequia. Coronat Cæsarem. Regnum confert Neapolitanum. Litem de Mutinâ, Rhegio in Cæsarem compromittit. Spernit sententiam Cæsaris. 96. nummus pacis: ib. Repudium petente Henrico Rege Angliæ in uxorem, causam delegat Eboracensi, & Campegio facultate sequendi opinionem etiã minùs probabilem. Instructio eis data. Guicciardini calumnia de diplomate Clementis in gratiam Henrici. 98. prohibet Campegio judicis personam adsumere. 99. causam Romam evocat. ib. decretum, ut restituatur Catherina thoro, & throno. 101. delusus ab Henrico excommunicat: ib Mors, sepultura, epitaphium. 107. n. 24. Eius memoria sugillatur à Guicciardino, & Iovio. Patienter audit clamores pauperum. 108 Rumani lætantur in eius morte. 109. Magnanimus paret insultantibus eius nomini. Purgatur à calumniis. Italiæ libertatem servat inter Carolum V & Franciscum I. Auxilia ab eo in Turcas submissa. 109. Malè audit ob nepotes. Moriens Cæsari nepotes tantùm commendat. Eius nepotes paraunt. Nummus de eius clementiâ. Ædificia. Nummi. Veritatem vestigat Domus Lauretanæ. 110.

4 Clementis VIII. Papæ antea Hippolythi Aldobrandini effigies, elogium, symbolum in quo ad Christi exemplum sedentis in asinâ, pompam declinat coronationis. 446. divisio Conclavi Sanseverinas eligitur. 449. Fanensis dicitur. 450. officia, legationes. n. 5. Papa prædicitur. Chiragrâ sanatur à S. Philippo Nerio: n. 2. discipulus Gabrielis Paleotti: ib Religiosa concertatio cum S. Philippo Nerio: ib. Purpuram ei offert. Coronatur privatim. Deum adiurat, ut e Mundo tollatur, si Ecclesiæ non sit profuturus: 452. Constitutionem *de non alienandis: de nummis servandis* in arce. Orationem perpetuam 40. Horarum Romæ instituit. Judæos ditione pellit Ecclesiæ. Dominicanos iubet præcedere post Monachos Clerum Regularem, Sæcularem reformat, distinguit. Omnia loca pia personaliter visitat. Symbolum eius: Nummismata. Audit legatos Principum: ib. Dissidia cum Venetis ob exules Ecclesiæ in castris receptos 453. iusta solvit Alex. Farnesio. Ei statuam erigit 454. Rudolphum Castillioneum frustra excitat ad justitiam. 454 lacrymis Deum sollicitat pro Galliæ salute ibid. Mandat Gallis excludere Navarræum à regno Galliæ. Eis auxilia mittit. 455 negat admittere Ducem Nivernium legatum Henrici, ut Regis. 458. Negat Henricum agnoscere Regem. 460 Mandat citari Nivernium ad tribunal Inquisitionis: ib. Ecclesiæ Henricum reconciliat, supplicationibus nudo pede præmissis ad Deum. 461. nullum coniugium declarat Henrici, & Valesiæ: Nummismata huius historiæ. 462. Cæsari auxiliatur in Turcas: n. 5. Sigismundo Bathoreo pecuniam confert in Turcas: 463 Inquirit de nece Cardinalis Bathorei: ib. Dicit Ferrariam Ecclesiæ devolutam. Copias ducit in Estensem: Excommunicat. 465. Ferrariâ potitur: ib. Comaclum occupat. Ducem Mutinæ dicit Estensem. Nummi: ib. Provinciam visitat. Dona collata Domui Lauretanæ 466 Iustinianum Venetum equitem creat. Triremes ei submittunt Veneti: Pompâ ingressus Ferrariam. Ducem Parmæ suscipit Ferrariæ: ib. Sacrum agit prò animâ Philippi II. Ferrariam sacrat Virgini Lauretanę. 467 Suscipit Margaretam Austriacam, nuptias eius benedicit cum Philippo III. & Alberti Archiducis cum Isabellâ Clarâ Eug. Hispanâ. Nummus n. 8. Gallos reconciliat Sabaudo, Hispanis. 467. Nummismata. 468. Ferrarienses benedicit: ib. Bononiam, Lauretum venit: sacris ordinat Aldobrandinum, & Cæsium Cardinales. Indulgentiis cumulat Domum Lauretanam. Plausu Romæ receptus. 469. In Capitulio inscriptio. Tyberi inundante liberalis in pauperes n. 10 Jubilæum publicat. Instituit Congregationem Captivorum. Regulares ægrotis servientes reformat. Errorem damnat de Confessione per Procuratorem, aut per literas. Dat leges Monachis S. Basilii. Dat Clericis Regularibus templum S. Mariæ in porticu. Anglos excitat pastores. Morem occidendi taurum cum pane, & candelâ prohibet. 469. Bacchanalia prohibet vigente Jubilæo. Licèt chiragrâ impeditus lavat pedes pauperum. Pœnitentes audit. In mensâ ministrat. Alia eius pietatis opera, quibus victi aliqui Turcæ, hæretici, Calvini consanguineus convertuntur. Sexagies eo Anno Basilicas visitat. Proneptem tradit in uxorem Duci Parmensi Auiæa aufert cubiculis suis. Andream Auſtrium Cardinalem iuvat ad piè moriendum. Donat sacras vestes Ecclesiæ S. Cæciliæ. Portam Sanctam claudit. Jubilæi nummismata. 470. Effi-

ges

Digitized by Google

Google

s Cy-

Digitized by Google

Digitized by Google

E



de

Digitized by Google

tur

Digitized by Google

sacra

Digitized by Google

4 Fran-

Digitized by Google

G



3 Gai-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H



Digitized by Google

6 Fidei confessionem accipit à Tharasio Ep. Constantinopol. ei scribit de cultu Imaginum: queritur titulum *Vniversalis* ei datum ab Augustis Rogat Irenem, ut restituat S. *Petro* ablata. Legatos mittit in Orientem. Consentit electioni Tharasii si imagines restituat, nu.6. purgat se à calumniâ simoniæ. nu.8 reprobat Concilium Francofurtense 390. nu 9 Capitulare confutat Caroli M.*ib.* colligit antiquos Canones n. 10. exarmat Episcopos gladio, & baltheo n. 11. instruit *G*allos cantu Romano. nn. 12. mittit eis Antiphonarium S. Gregorii I. scribit Carolo M. de generatione Verbi Æterni. 391. n. 13. obitus n. 14. summarium epistolarum eius, ex quibus gesta elucent Hadriani. Vita eius scripta in barberina bibliotheca. 394 gesta carmine exarata *ib.* Miracula. 395. Carolus M. parentat Hadriano. n. 14. Ecclesias restaurat, muneribus ditat. 395. n. 15. precibus ad Deum Tyberis inundationem stagnat. 398. portas æreas apponit S. Petro. 399. ordinationes. Memoria Lapidea in S. Maria de Cosmedin. Signa plumbea Hadriani. *E*o sedente duodecim sunt celebrata concilia. Oratio Patriarchæ *G*radensis ad eum. Dat Venetis Episcopum: 400. Coercet Patriarcham Aquileiensem *ib.* Legationem à Venetis accipit. 399. epitaphium ei positum à Carolo M. p. 385. Cilicio Involutus. Legat alimoniam centum pauperibus dietim distribuendam. 386

2 Hadriani II. *P*apę effigies, symbolum, elogium. Cogitur miraculis acquiescere electioni in Papam. 47. natalia: Subdiaconus Gregorii IV. Cardinalis S. Marci. Vita immaculata n. 1. denarios multiplicat, ut pauperibus subveniat. Hospitalis ut Iob. n. 2. Amator pauperum. *ib.* Ter electus Papa semper fugit. Invitus coronatur. Omnes cælicos excitantur ad eius electionem. Cōsecratur n. 3. Excommunicatos reconciliat. *ib.* Xenia recepta inopibus distribuit: plures latrones excommunicat. *ib.* concedit Lothario adventum in *V*rbē. n. 4. Malè audit ob nimiam clementiā. Vualdradam absolvit, ut Nicolai gesta probare demonstret. Basilicam absolvit ab eo inceptam. Sexta feriâ septuagesimæ prandio excipit Clerum: laudat, orat pro Nicolao prædecessore suo, cuius protestatur servare memoriam. Vulfado pallium concedit. Scribit Ignatio Constantinopol n. 4. Monet Carolum Calvum literis, legationibus abstinere ab alienis. n 5. Excommunicationem minatur Galliæ Episcopis. In Hadrianum insultat Hincmarus pro tutela tyranni *ib.* Rogat Carolum Calvum ut paternè agat cum filio Carolomanno. Causam agit Hincmari Ep. Laudunēsis, sed ludificatur à Rege, & ab Hincmaro Rhemensi. Caroli Calvi literas accipit amarissimas. *ib.* Rescribit Hadrianus ea humilitate, ut Carolus erubesceret. 54. legationem suscipit honorificam à Basilio cum muneribus n. 7. Librū Photii sibi oblatum plenum blasphemiis in synodo damnat, cremat: Cęlo pluviam immittēte loco ignis. *ib.* Basilium laudat, *si perseveraverit*: malà prævidet futura Basilii. Legatos ei mittit. *ib.* Confirmat synodum Constātinopol. & pingi mandat in Vaticano. 55. n. 7. Negat Marinum Diaconum in Episcopum Bulgaris. Asserit Bulgariam intra terminos sedis Romanæ. n. 8. Arguit Ignatium de iure usurpato Ecclesiæ *R*omanæ. *B*asilium de legatis malè habitis. 56. negat dispensare eum lapsis absque causà. Mors. Epistolæ. Mittit reliquias S. Leonis M. Salomoni *R*egi Britonum. Pallium Antistiti Dolensi. Coronam regiam *Aluredo* Regi. Psalterium transfert in linguā Anglicam. *P*rædicatores mittit ad Slavos. Sepultura. *N*ummisma.

3 Hadriani III. effigies, symbolum, elogium: libertatem redimit in electione *P*apæ. 68. natalia, antè electionem dictus *Agapetus*, epistolam suscipit Fulconis Rhem contumeliosam: suscipit epistolam à Basilio Imper. ob Photium excommunicatum. 69. nu. 1. decreta de libera electione *P*ontificis; & de eligendo Imperat Italo. n. 2. Roma secedit Scultenam Vicario relicto ad declinādas locustas. Mors, sepultura. *ib.* Sarraceni sub eo devastant Italiam.

Hadriani IV. Papæ anteà Nicolai effigies, elogium, symbolum. in quo sub figura *Pigmeorum* in arce Tyct, exprobrat homines ignavos. 567. natalia, studia. Officia. Prioratus, Abbatiæ, Episc. Alban. Legatus ad Norveg. 569. linguarum peritus. 570. ob paupertatem puer peregrinari coactus à patre. Falsis accusationibus impetitus à Monachis. Cur ad Episcop. promotus Albanum. 571. Ordinat S. Henricum in Episcopum Vpsalensem, literis excitatur ab Henrico Angliæ Rege ad S. expeditionem n. 2: Romam interdicto notat. *R*omanis parcit pœnitentibus. *ib.* Friderico Ænobarbo Romam venienti obvios mittit legatos, & sibi tradi Arnoldum impetrat. 572. negat Ænobarbo osculum, ni sibi priùs solvat stratoris officium. *ib.* Excitat Fridericum ut libertati restituat Archiep. Londonen. Legatos mittit. Tentat Fridericum placare iratum ob suspicionem, quòd Imperium credatur feudum Ecclesiæ. 574. Consulit Germaniç præsules. *ib.* Legatos dirigit, qui *F*ridericum placarent. 575. Legati carceri dantur. 576. Scribit Friderico interpretando, quomodo Imperium dicatur feudum *E*cclesiæ. *ib.* Queritur cum Ænobarbo, quòd regalia exigeret ab Ecclesiasticis. 577. negat Cæsari Guidonem Blanderatensem dare in *E*p. Ravennatibus. *ib.* literas accipit cum nomine Cęsaris prælato Papæ nomini. Mandat Cæsari ne se immisceat in cognitione causæ inter Brixianos, & Bergomates. 578. Queritur de nomine Cæsaris sibi præposito: minatur privationem. Lamentatur, quòd homagium exigat ab Episcopis: *ib.* legatos mittit ad restituendam pacem. 580. Vvilhelmum excommunicat Regem Siciliæ. 580. Proditus à Cardinalibus obsessus Beneventi privilegium indulget Siculo, ne à Sicilia ad Sedem Apostolicam detur appellatio; nec legatio recipiatur. 581. *A*udit ex relatione Io: Saresberiensis clamores populorum contra curiam *R*omanam. 582. Arguitur, quòd decimas, Annatas exigat: se defendit. 583. nec matrem suam audet ditare bonis Ecclesiæ. 581. Ecclesiam consecrat S. Mariæ Sorani. Ædificia. 584. amplìat S. Petri patrimonium. *ib.* Ordinationes, tempus sedis. Mors sepultura. 585. Angina perit, hinc fabula, quòd à muscà suffocatus. Anathema meditatur in Ænobarbum, nec perficit: *ib.* *P*ost Annos 500. corpus reperitur integrum. Symbolum. Scripta: dissuadet Francorum *R*egi expeditionem Hispanam inconsultis principibus illius terræ. Arch. Iadertinum Gradensi subiicit. Indulget *G*radensi Episcopo consecrare ubicumque Veneti urbes habent. Scribit Basilio Achrideno. Scribit Henrico Anglorum Regi. p. 586.

3 Hadriani V. *Papæ* āteà *Ottoboni Flisci* effigies, insignia, elogium, symbolū in quo alter Aaron gemmas idest onus imperii gravissimum portat in humeris. 68. natalia, nepos Innocentii IV. officia. 69. n 1. legatus contra Manfredū vincit nn. 2. Anglos servat in obsequio Regis. Elogio revocatur à Clem. IV. p. 70. Londini concilium celebrat; Castellæ Regem excitat ad sacram expeditionem ac *R*egem Lusitaniæ. 71. Papa electus. n. 5. auxilium mittit Orientalibus. Renuit Romæ coronari. Pręludium de ejus Pontificatu. n. 6. Papatum abhorret ut onus gravissimum. Mors, epitaphium. Scripta. Conatur componere Carolum Andegaven. cum Rudolpho Imper. *ib.*

Hadrianus VI. Papa cum doctor esset privatus ignoranter accusat Io: XXII. Papam de Visione beata. 245

4 Hadriani VI. Papæ anteà Cardinalis Derthusensis effigies, insignia, elogiū, symbolum in quo velut Samuel qui Regem Hebræis est dare coactus, curiam reformare voluit, nec potuit. 1. natalia. 2. An Hollandus, vel Salodiensis. 3. natu pauper. Studia Theologica, Mathematica. Non amat Poesim n. 2. Scripta. n. 3. dignitates collatæ non petenti. n. 3. Collegium Lovanii extruit. 6. n. 4. Magister Caroli V. n. 5. Legatus ad Hispanos. Ep. Derthusensis Cardinalis. Hispaniæ præfectus. Dilectus Hispanis. n. 6. Perduelles Hispanos punit. 7. Navarram recuperat. *ib.* Inter Cardinalium dissidia Papa eligitur. 8. Malè audita ejus electio à Romanis. 9. Constantia auditâ suâ electione. Mandibulam D. Lamberti dono accipit. 9. Muneribus cumulatur ab Hispanis. *V*isitat D. Lambertum. Omen infaustum. Navigat in Italiam. Genuæ subsistit. Ob morum gravitatem ingratus. 10. Romam venit. 19. Auxilia Vngaris, & Croatis mittit in Turcas. nu. 8. plures legati in occursum missi. 10. & p. 11. vaticinium de ejus papatu. 11. num. 7. Qui in eum scripserint. *ib.* Lutherana seditio. 14. Principes contemnit. *ib.* Legatum mittit ad Comitia Nurimbergę. 19. Petunt Germani gravamina tolli, antequàm in Lutherum pœna inferatur. 20. Peste sæviente curam gregis gerit impavidus. n. 9. oppressus ærarii inopià Regulorū insolentià, Turcarum tyrannide. n. 10. Tædium oneris Pontificij. nu. 10. Malatestam Arimino pellit. 21. Feltrium, & Atestinos restituit *E*cclesiæ. *R*hodijs auxilia mittit, sed frustra. 22. fędus cum Italis in Gallos. *ib.* Franciscum Cardinalem Soderinum ut calumniatorem dat carceri. Iulium Mediceum absolvit. 24. officia vęnalia revocat Literatis data à Leone: gratias etiam Cardinalibus datas. Sacerdotijs tamen com-

Digitized by Google

# I



Ia-

Digitized by Google

Digitized by Google

eit:nu.24 Mauris prædicatores mittit Pruthenis:n.25. Livones ad Christum adducit:nu.26. Armenos suscipit legatos. Eis dirigit qui causam cognoscāt eum Templarijs: donat Armenis vexillum S Petri: *ib.* Coronat Petrum Regem Aragoniæ: n.28. iuramentum suscipit fidelitatis censu constituto: *ib.* Perusium petit ad conciliandos Pisanis Ianuenses. Mors prædicitur *vultu Domini*:n.29.elogia de eo:729. Ædificia: calumnia in eum, quòd familiam ditarit. *ib.* Tres ob causas dicitur torqueri in Purgatorio. 730

3 Innocentij IV. Papæ anteà Sinibaldi Flisci effigies, elogium, symbolum in quo ut Io: Evangelista epistolas semper exorditur à pace.1. natalia, officia, dignitates, Papatus.3.n.1. dimittuntur liberi Cardinales à Friderico. 5.vaticinium de ejus Papatu.7. timetur à Friderico Imper. Anathema in eum confirmat. Legationem Friderici rependit. Crucesignatos scribit in auxilium Ungarorum. 8. Irritat emptionem *Colisei* factam à Friderico. Ianuam se recipit. In Gallias pergit ad Ludovicum.*ib* Indicit Concilium Lugdunense. Iterum Fridericum excommunicat.n.2.diebus festis ex suggestu inclamat in Fridericum. Creat duodecim Cardinales.9. Eis concedit rubrum galerum. *ib.* Fridericum excommunicat in Concilio Lugdun. Mandat eligi alium Imperatorem. 10. calumnia in eum de evocatis Sarracenis in Fridericum. Mandat eligi in Imperatorem Vvilhelmum Comitem Hollandiæ.*ib.*contra Conradum filium Friderici evocat Ricchardum Cornubię. Investit Carolum Andegavensem de utràque Siciliâ.12.Canonizat B. Stanislaum.*ib.*Auditâ clade S.Ludovici Regis, Christianos excitat in Syriam. 13 Visitari à Regibus non sustinet.n.7. in Italiam venit in Ezelinum.*ib.*Excommunicat Iacobum Regē Aragoniæ.11. Negat præficere Ferdinandi Regis filium puerum Ecclesiæ Oxomensi. Corripit Henricum Regē Angliæ.nu.8. Sancium Regem Portugalliæ privat diademate.14. Obit Neapoli. Mortis falsa causa, quòd privilegijs spoliaverit Regulares. 14.Mandat Regularibus, ne Parochias turbent. Confessore utebatur Minoritâ. In pręcipuis legationibus utitur Dominicanis. Consanguineos arguit plangentes de ejus morte.14. Vltima verba morientis. 15. Calumniæ in eum de ejus damnatione: De verbis tumidis, de auaritiâ, de Ecclesię captivitate, de Fide suspectâ. Dictus *Lucerna Iuris.ib.* & p. 18 Labores pro Ecclesiæ immunitate. Vigilantia pro fide Orthodoxâ. Pantaleonem Iustinianum legatum dicit sacræ expeditionis in Syriâ. 16. Sepultura, epitaphium. Sciagraphia monumenti:16.Nummismata.16. Vrbem Neapolim eversam restituit. 17. Epitaphium vetustate consumptū restituitur ab Annibale Capuano. Scripta.*ib.* Visitat S. Claram ægrotantem. Eâ mortuâ cum officium recitaretur Defunctorum mandat recitari officium S.S. Virginum. 18. Venetos excitat in Græcos schismaticos. 15. Symbolum. 18

3 Innocentij V. Papæ anteà *Petri* Tarentasij effigies, insignia, elogium, symbolum in quo ut Christus panem frangit manibus, non ferro 64. natalia, ferax ingenium, symbolum. Principes certiores facit.65.n.1. alumnus Dominicanorum; ob Sapientiam *Magister* dictus. Ep. Lugdun. Card. vaticinium de ejus Papatu. Elogium de eo. n. 2. Baptizat nobiles Tartaros. Orat in funere S.Bonaventuræ. Scripta 66. Censura in ejus scripta diluitur à D. Thomâ. Christianos ad pacem sollicitat. Gibellinos damnat. Hispanis auxiliatur in *Sarracenos*. Pisanos reconciliat Lucanis. Mors, sepultura. Corpus Clem. IV. mandat restitui Dominicanis. Signum. 66

3 Vrbani VI. anteà *Barthalomæi Cerdani* effigies, iosignia, elogium, symbolum in quo malè audit, ut Samuel propter consaoguineos. 345. Rogat Cardinales pro electione optimi pastoris. 349. natalia, studium decretorum. Castus, iustus, amator litterarũ. Officia: nimis credulus. Corporis species. Modestia personę, familię. Cilicio induitur. 149. causæ, quæ moveruot Cardinales ad eius electionem. *ib.* eligitur Papa 351. eius nomen accipitur cum tumultu. 352. adoratur ab omnib. Cardinalib. *ib.* Quæritur ad mortem à Romanis. Coostantias mioas spernit. 353. Vult se eximere, nõ permittitur à Cardinalib. sed ab omnibus unanimiter coronatur. 354. ei Cardinales commendãt familiam defuncti Papę. Ramos Olivarum distribuit Cardinalib. Cum Cardinalib. excommuoicat Florentinos. Iuramentum suscipit Romanorum. Presbyteriũ solvit Cardinalib. *ib.* Vvenceslaum confirmat Regem Romanorum. 355 transfers Bertrandum Cardinalem Glandaceosem ad Ostiensem. Simoniacos insequitur. Priocipes suę electionis facit certiores. Symbolum. Testimonia Cardinaliũ de iustà electione. *ib.* Consistoria cum Cardioalib. celebrat, eisq; Sacramenta ministrat. 357. Florentinos absolvit intercedente S. Catherinà Seneosi. *ib.* Increpat Episcopos, ut periuros, & non residentes. 358. Occasiooe severitatis iotẽpestivę Papæ, & negetivæ non transferedi sedem in Galliam oritur schisma, secedentib. Cardinalib. & ei insidias struentib. 359. Custodes accipit à Reginà Iosonà. Salutatur ut Papà à Cardinalib. schismaticis. Excitatus reoūotiare recusat. Consulti Legistę an electio libera fuerit: Baldus affirmativè respõdet. *ib.* Vrbanus Concilium offert Æcumenicum pro decisione. 361. Reprehendẽs Cardinales iniuria rependitur. *ib.* Meditatur Siciliam conferre nepoti. Tumidè se gerit cum Ducę Brunsuicensi. 362. n. 3. Literas accipit à schismaticis, ut cedat Papatu. Ab Anglis, & maiori parte Christiaoorum defeoditur. *ib.* In eum ereatur Antipapa Clemeos VII. 363. Excitatur ad eonstaotiam à S. Catherinà Senensi Nationes quæ eũ eo sentiebãt, & munera miseruot. Sorbonistæ eum eo sentientes subvertuntur à Rege Carolo. 364. Vnà die oreat viginti sex Cardinales. Beoignus palpat Curiales. Alios dicit Cardioales, qui aecipere recusant. 365. Cardinales nonoullos schismaticos spoliat Cardinalatu: alios prętcrit expectãs ad pœnitentiam. *ib.* Eom verum Papam fatetur moriens Vrsinus. 366 Sancti eum venerantur. Gratias agit Deo oudis pedibus prò receptà arce Hadriani. *ib.* Legatos suscipit Reginę Ioãnæ. 367. Cõstantia Vrbani excipiendo Romanos seditiosos. *ib.* Colitur à Germanis. Spernitur à Siculis, Gallis, Aragoniis. Donat Imolensem Comitatum Bononiẽsibus. 368. Ludovicum Regem Ungarię excitat in Reginam Ioannam. Proprietates vẽdit Ecclesiarũ, pretiosa earundem vendit, ut stipendia distribuat militibus Ungaris. Coronat Carolum Dyrrachinum. Franciscum Prægoanũ cognomine Butyllum dicit Ducem Amalphitanum, & Capuanum. *ib.* Cæsà Reginà Ioannà, unà die creat triginta duos Episcopos io regno omnes Neapolitanus. Creat plures Cardinales. *ib.* Excitatis in Castellaoos, & Gallos Crucesignatis vincit. 371. Anversę circumventus à militib. Caroli, eos excõmunicat. Neapoli regiè susceptus obvium habet Carolum, qui ei stratoria implet munus. Custodię datur. *ib.* Recõciliatur Carolo, acceptis Principatibus pro nepote. Duas neptes nuptiis tradit 371. libidinẽ nepotis præterit sine vindicta. Nuptias ei conciliat cum affine Regis Caroli. n. 5. Salernis hyberosns deseritur à Cardinalib. Neapolim vocatus à Rege, respondit: Regum esse se prosternere pedib. Papæ. Ei mãdat tollere vectigalia. *ib.* Sex Cardinales carceri dat: Germanos ei substituit, qui repudiant purpuram. 373. Alios Neapolitanos ereat Cardioales, qui male audiunt. Captivos Cardinales torqueri mandat crudelis. 374. A Baueio Raymundo extrahitur in libertatem elusis Gallis, qui volebant eum tradere. 375. castra Saoneosis Ecclesiæ oppignorat Ianuensib. Occidi mandat Episcopum Aquilonensem. Apud Ianuenses hospitatur. Adam Cardioalem solvit. Cardinales captivos occidi mandat. Crudelitate territi duo Cardinales ad schismaticos cõfugiũt. *ib.* Minus sinterè colitur à Ianuensib. Meditatur Siciliam transferre io nepotem. Negans acquiescere Concilio à plurib deseritur. 376. Perusium petit, ubi malè audit ob luxuriã nepotis. 377 Prædicitur ei, quod Romæ morietur. Decretum de Iubilę o celebrando de trigesimo in trigesimũ. Quòd in festo Corporis Euchar. divina eelebrentur, etiam urgente iuterdicto. *ib.* Genus mortis. Monetur à S. Catherinà Seneosi cavere à veneno. Epitaphium ioeptum. Sepultura. p. 378. Delioeatiu sepulchri. 329. Vrbani memoriæ. 378. Legitimum esse Pootificẽ superi testantur, & inferi. *ib.* eius posteritas tota naufragio perit, 378

4 Vrbani VII. Papæ anteà *Io: Bapt. Castanea* effigies, insigoia, elogium, symbolum in quo recordatus se teneri rationem reddere villicationis, Collectorem missum in Hispaniam, nè ad hoc teneretur, revocat 415. natalia, studia, officia. 415. Patres Tridentini eo incõsulto nil agunt. n. 2. Legatus ad Hispanos. In hoc itinere tres Papæ conveniunt 416. Amicus Sixti V. & huic venerabilis. Legationes. n. 3. Isabellam filiam Philippi levat è sacro fonte. Fœdus promovet in Turcas. Renuntiat Archiepiscopatum sinè pensione. nu. 4. legationum discrimina. nu. 5. Legatus ad Belgas dicitur *homo pacis*. 417. ter Papa prædicitur à Sixto V. 408. eius in siou obiit Sixtus. *ib.* eligitur Papa invitus. Cur dictus Vrbanus. 417. Vaticinia de eius Papatu. 418. nepotes Romam adeuntes remittit io patriam nõ exaltatos. *Fabritium Verallum* nepotem Canonicatu vult esse cooteutum. nu. 8. Iacobum Mellinum pronepotem dicit Nuntium Apostolicum, proximus morti restaurat, nè teneretur rationem reddere. nu. 9. Titulum excellẽtiæ prohibet Mario Millino consanguineo. *ib.* Sixti ædificia absolvi mandat iosignibus suis non appositis. n. 10. Familiam, eiusq; vestitum moderatur. *ib.* quaota sibi proposuisset. Luctus populi Romani eo ægrotante. 419. pietas morientis. Gratias Deo agit, quòd liberaretur onere Põtificatus. n. 12. nomina pauperum notat in ebecedario.

Au-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX CHRONOLOGICUS
## ROMANORVM PONTIFICVM.

In hoc Romanorum Pontificum Catalogo tempus habes electionis, Sedis, & Mortis: idq; ut faciliùs assequaris, Tomum, paginam, numerum Pontificum adnotavimus. Dissonat aliqualiter Chronologia hæc ab eà, quæ cuiq; Pontificum stat apposita sub imagine; veruntamen cum meliùs mihi concordare non detur Scriptores antiquos; Tu meliora cogita. In supputatione si quandoquè videatur superabundare dies, vel deesse; eam justam facilè invenies, si Annum supputando 1689. à die 10. Martij, futuram diem 9. Martij includas, non decimam: quia eodem in Anno bis decima Martij non recurrit.

| Tomus. | Anni. | Menses. | Dies. | Pagina. | Num. Pont. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Abundius Eleuth. | 15 | — | 23 | 57 | 14 |
| Adeodatus. | 7 | 2 | 16 | 319 | 78 |
| Adrianus I. | 24 | 10 | 15 | 384 | 97 |
| 2 Adrian. II. | 4 | 10 | 17 | 47 | 108 |
| Adrianus III. | 1 | 3 | 19 | 69 | 111 |
| Adrian. IV. | 4 | 8 | 24 | 567 | 169 |
| 3 Adrian. V. | — | — | 38 | 68 | 286 |
| 4 Adrian. VI. | 2 | 8 | 5 | 1 | 220 |
| 1 Agapetus. | 1 | — | — | 247 | 58 |
| 2 Agapetus II. | 9 | 7 | 10 | 113 | 132 |
| 1 Agatho. | 3 | 4 | — | 323 | 80 |
| Alexander I. | 10 | 5 | 20 | 35 | 7 |
| 2 Alex. II. | 11 | 6 | 22 | 317 | 156 |
| Alex. III. | 21 | 11 | 24 | 587 | 170 |
| 3 Alex. IV. | 6 | 5 | 5 | 20 | 181 |
| Alex. V. | — | 11 | 9 | 440 | 206 |
| Alex VI. | 11 | — | 8 | 708 | 216 |
| 4 Alex VII. | 12 | 1 | 16 | 595 | 239 |
| 2 Anacletus. | 9 | 6 | 29 | 28 | 5 |
| Anastasius I. | 4 | 1 | 14 | 183 | 40 |
| Anastas. II. | 1 | 11 | 22 | 230 | 51 |
| 2 Anastas. III. | 2 | 2 | — | 92 | 123 |
| Anastas. IV. | 1 | — | — | 563 | 168 |
| 1 Anicetus. | 7 | 8 | 26 | 50 | 12 |
| Antherus. | — | 2 | — | 75 | 20 |
| Benedictus I. | 4 | 2 | 16 | 266 | 63 |
| Bened. II. | — | 8 | 18 | 330 | 82 |
| 2 Bened. III. | 2 | 6 | 10 | 27 | 106 |
| Bened. IV. | 2 | — | — | 85 | 119 |
| Bened. V. | 1 | 2 | 17 | 136 | 134 |
| Bened. VI. | 2 | — | — | 156 | 137 |
| Bened. VII. | 9 | — | — | 162 | 138 |
| Bened. VIII. | 12 | — | — | 209 | 146 |
| Bened. IX. | 10 | — | — | 224 | 148 |
| 3 Bened. X. dictus XI. | — | 9 | 29 | 183 | 194 |
| Bened. XI. | 7 | 4 | 6 | 251 | 197 |
| 1 Bonifacius I. | 4 | 10 | 5 | 195 | 43 |
| Bonifac. II. | 1 | — | 1 | 242 | 56 |
| Bonifac. III. | 8 | 11 | 29 | 283 | 67 |
| Bonifac. IV. | 6 | 7 | 20 | 285 | 68 |
| Bonifac. V. | 7 | 9 | 20 | 289 | 70 |
| 2 Bonifac. VI. | — | — | 15 | 79 | 114 |
| 3 Bonifac. VIII. | 8 | 9 | 19 | 148 | 193 |
| Bonifac. IX. | 14 | 11 | — | 379 | 203 |
| 1 Caius. | 12 | 4 | 5 | 114 | 29 |
| Calistus. | 1 | 5 | 12 | 68 | 171 |
| 2 Callistus II. | 5 | 10 | — | 481 | 162 |
| 3 Callistus III. | 3 | 3 | 29 | 561 | 211 |
| 2 Calpurnius. | 4 | 4 | 25 | 73 | 19 |
| Christophorus. | — | 7 | — | 87 | 121 |
| Cœlestinus I. | 8 | 5 | 3 | 200 | 44 |
| 2 Cœlestin. II. | — | 5 | 13 | 531 | 165 |
| Cœlestin. III. | 6 | 8 | 29 | 682 | 175 |
| Cœlestin. IV. | — | — | 16 | 758 | 179 |
| 3 Cœlestin. V. | — | 5 | 9 | 121 | 192 |
| 1 Cœlius Silver. | 4 | — | — | 250 | 59 |
| Clemens I. | 9 | 6 | 4 | 22 | 4 |
| 2 Clem. II. | — | 9 | 15 | 244 | 150 |
| Clem. III. | 3 | 2 | 27 | 675 | 174 |
| 3 Clem. IV. | 3 | 9 | 25 | 37 | 183 |
| Clem. V. | 8 | 11 | 14 | 191 | 195 |
| Clem. VI. | 10 | 6 | 29 | 267 | 198 |
| 4 Clem. VII. | 10 | 10 | 7 | 33 | 221 |
| Clem. VIII. | 13 | 1 | — | 445 | 233 |
| Clem. IX. | 2 | 5 | 19 | 622 | 240 |
| Clem. X. | 6 | 11 | 23 | 656 | 241 |
| 1 Cletus. | 12 | 7 | 2 | 20 | 3 |
| Cócordius Soter. | 3 | 11 | 18 | 54 | 13 |
| Conon. | — | 11 | 1 | 334 | 84 |
| Constant. | 7 | — | 2 | 346 | 89 |
| Cornelius. | 1 | 5 | 14 | 83 | 22 |
| Damasus. | 17 | 2 | 27 | 171 | 38 |
| 2 Damasus II. | — | — | 23 | 249 | 151 |
| 1 Deus dedit. | 2 | 11 | 27 | 287 | 69 |
| Dionysius. | 12 | 3 | 14 | 103 | 26 |
| Donus. | 1 | — | — | 321 | 79 |
| 2 Donus. | — | 3 | 11 | 152 | 136 |
| 1 Evaristus. | — | 9 | 3 | 31 | 6 |
| Eugenius I. | — | 6 | 20 | 315 | 76 |
| 2 Eugen. II. | 3 | 1 | 17 | 1 | 101 |
| Eugen. III. | 8 | 4 | 13 | 547 | 167 |
| 3 Eugen. IV. | 15 | 11 | 24 | 490 | 209 |
| 1 Eusebius. | 2 | 7 | 21 | 136 | 32 |
| Euthychian. | 8 | 5 | — | 111 | 28 |
| Fabianus. | 15 | — | 3 | 77 | 21 |
| Fœlix I. | 2 | 4 | 29 | 108 | 27 |
| Fœlix II. | 8 | 11 | 18 | 222 | 49 |
| Fœlix III. | 4 | 2 | 22 | 239 | 55 |
| Fœlix IV. | 2 | 4 | 4 | 2 | 22 |
| Formosus. | 5 | — | — | 75 | 113 |
| Gelasius. | 4 | 8 | 19 | 245 | 50 |
| 2 Gelasius II. | 1 | | 4 | 469 | 161 |
| 1 Gregorius I. | 13 | 7 | 11 | 171 | 65 |
| Gregor. II. | 16 | 8 | 20 | 350 | 90 |
| Gregor. III. | 10 | 9 | — | 357 | 91 |
| 2 Gregor. IV. | 16 | — | — | 7 | 103 |
| Gregor. V. | 2 | 8 | 5 | 180 | 141 |
| Gregor. VI. | 2 | 8 | — | 256 | 149 |
| Gregor. VII. | 12 | 2 | — | 349 | 157 |
| Gregor. VIII. | — | 1 | 27 | 670 | 173 |
| Greg. IX. | 14 | 4 | 26 | 744 | 178 |
| 3 Gregor. X. | 4 | 4 | 10 | 49 | 184 |
| Gregor. XI. | 7 | 2 | 26 | 334 | 201 |
| Gregor. XII. | 8 | 8 | 2 | 407 | 205 |
| 4 Gregor. XIII. | 12 | 10 | 28 | 313 | 228 |
| Gregor. XIV. | — | 10 | 10 | 426 | 231 |
| Gregor. XV. | 2 | 5 | 29 | 523 | 236 |
| 2 Hilarius. | 5 | 9 | 29 | 215 | 47 |
| Honorius I. | 11 | 4 | 28 | 292 | 71 |
| 2 Honor. II. | 5 | 1 | 17 | 492 | 163 |
| Honor. III. | 10 | 8 | — | 731 | 177 |
| 3 Honor. IV. | 2 | — | 1 | 102 | 190 |
| 1 Hormisda. | 9 | — | 10 | 237 | 53 |
| Hyginus. | 3 | 11 | 28 | 45 | 10 |
| Ioannes I. | 2 | 9 | 14 | 241 | 54 |
| Io: II. | 5 | — | — | 244 | 57 |
| Io: III. | 12 | 11 | 20 | 262 | 62 |
| Io: IV. | 2 | 9 | 12 | 301 | 73 |

| Tomus. | Anni. | Menses. | Dies. | Pagina. | Num. Pont. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Io: V. | 2 | — | 20 | 332 | 83 |
| Io: VI. | 3 | 2 | 12 | 341 | 86 |
| Io: VII. | 2 | 7 | 17 | 343 | 87 |
| 2 Io: VIII | 9 | 11 | 30 | 57 | 109 |
| Io: IX. | 3 | — | 15 | 83 | 118 |
| Io: X. | 1 | — | — | 69 | 125 |
| Io: XI. | 6 | — | — | 104 | 128 |
| Io: XII. | 9 | — | — | 117 | 133 |
| Io: XIII. | 6 | 11 | — | 144 | 135 |
| Io: XIV. dictus XV. | 1 | — | — | 165 | 139 |
| Io. XV. dictus XVI | 10 | — | — | 172 | 140 |
| Io: XVI. dict. XVIII | — | 5 | — | 196 | 143 |
| Io: XVII. dictus XX. | 8 | 6 | 27 | 200 | 144 |
| Io: XX. dictus XXI. | 9 | 8 | — | 317 | 147 |
| 3 Io: dictus XXI. | — | 8 | 3 | 73 | 187 |
| Io: XX dictus XXII. | 18 | 2 | 29 | 211 | 196 |
| Io: XXI. dic. XXIV | 6 | — | 13 | 447 | 207 |
| 2 Innocent. I. | 15 | 1 | 10 | 184 | 41 |
| 2 Innoc. II. | 13 | 7 | 8 | 501 | 164 |
| Innoc. III. | 18 | 6 | 9 | 703 | 175 |
| 3 Innoc. IV. | 11 | 4 | 17 | 182 | 180 |
| Innoc. V. | — | 5 | 1 | 64 | 185 |
| Innoc. VI | 9 | 8 | 25 | 291 | 199 |
| Innoc. VII | 2 | — | 21 | 399 | 204 |
| Innoc. VIII. | 7 | 10 | 28 | 684 | 215 |
| 4 Innoc. IX. | — | 11 | — | 439 | 232 |
| Innoc. X. | 10 | 3 | 22 | 571 | 238 |
| 5 Innoc. XI. | — | — | — | 1 | 242 |
| 1 Iulius I. | 15 | 5 | 17 | 162 | 36 |
| 3 Iulius II. | 9 | 3 | 20 | 740 | 218 |
| 4 Iulius III. | 6 | 1 | 17 | 161 | 223 |
| 2 Lando. | — | 4 | — | 94 | 124 |
| 1 Leo I. | 20 | 11 | 2 | 207 | 46 |
| Leo II. | 1 | 10 | 13 | 327 | 81 |
| Leo III. | 20 | 5 | 23 | 401 | 98 |
| 2 Leo IV. | 8 | 4 | 4 | 19 | 105 |
| Leo V. | — | — | 40 | 86 | 120 |
| Leo VI. | — | 6 | 25 | 116 | 101 |
| Leo VII. | 3 | 6 | 10 | 106 | 129 |
| Leo VIII. dictus IX. | 5 | 2 | 9 | 253 | 152 |
| 3 Leo X. | 8 | 8 | 22 | 765 | 219 |
| 4 Leo XI. | — | — | 27 | 483 | 234 |
| 1 Liberius. | 15 | 4 | — | 166 | 37 |
| Linus. | 11 | 3 | 12 | 15 | 2 |
| Lucius I. | 1 | 4 | 12 | 92 | 23 |
| 2 Lucius II. | — | 11 | 14 | 539 | 166 |
| Lucius III. | 4 | 2 | 28 | 651 | 171 |
| 1 Marcellinus. | 7 | 11 | 25 | 119 | 30 |
| Marcellus. | 4 | 12 | 25 | 131 | 31 |
| 4 Marcellus II. | — | — | 22 | 188 | 224 |
| 1 Marcus. | — | 8 | 21 | 159 | 35 |
| 2 Marinus. | 1 | — | 20 | 64 | 110 |
| Marinus II. | 3 | — | — | 111 | 131 |
| 2 Martinus I. | 5 | 4 | 12 | 305 | 75 |
| 3 Martinus II. | 4 | 1 | 7 | 89 | 189 |
| Martinus V. | 13 | 3 | 9 | 466 | 208 |
| Melchiades. | 2 | 2 | 8 | 141 | 33 |
| 1 Nicolaus I. | 9 | 6 | 20 | 30 | 107 |
| 2 Nicolaus II. | 2 | 6 | — | 304 | 155 |
| 3 Nicolaus III. | 2 | 8 | 29 | 80 | 188 |
| Nicolaus IV. | 4 | — | 12 | 108 | 191 |
| Nicolaus V. | 8 | — | 18 | 541 | 210 |
| Nicolaus VI. | 8 | — | 18 | 543 | 210 |

| Tomus. | Anni. | Menses. | Dies. | Pagina. | Num. Pont. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 Paschalis I. | 7 | 2 | 16 | 420 | 100 |
| 2 Paschalis II. | 17 | 6 | 1 | 442 | 160 |
| 1 Paulus I. | 10 | 1 | 2 | 378 | 95 |
| 3 Paulus II. | 6 | 10 | 27 | 629 | 213 |
| 4 Paulus III. | 15 | — | 28 | 112 | 222 |
| Paulus IV. | 4 | 2 | 24 | 201 | 225 |
| Paulus V. | 15 | 8 | 12 | 493 | 235 |
| 1 Pelagius. | 4 | 10 | 18 | 260 | 61 |
| Pelagius II. | 22 | 2 | 29 | 268 | 64 |
| Petrus. | 38 | 5 | 12 | 3 | 1 |
| Pius I. | 9 | 5 | 27 | 47 | 11 |
| 3 Pius II. | 5 | 11 | 27 | 579 | 212 |
| Pius III. | — | — | 26 | 732 | 217 |
| 4 Pius IV. | 5 | 11 | 15 | 244 | 226 |
| Pius V. | 6 | 3 | 24 | 288 | 227 |
| 1 Romanus. | — | 4 | 20 | 79 | 117 |
| Sabinianus. | 5 | — | 17 | 281 | 66 |
| Sergius I. | 13 | 9 | 4 | 336 | 85 |
| 2 Sergius II. | 3 | 1 | 3 | 13 | 104 |
| Sergius III. | 2 | — | — | 89 | 122 |
| Sergius IV. | 2 | 8 | 13 | 204 | 145 |
| 1 Severinus. | 1 | — | — | 298 | 72 |
| Simplicius. | 15 | 5 | 10 | 218 | 48 |
| Siricius. | 13 | 1 | 13 | 176 | 39 |
| Sisinus. | — | — | 20 | 345 | 88 |
| Sixtus I. | 9 | 11 | 22 | 38 | 8 |
| Sixtus II. | — | 11 | 12 | 100 | 25 |
| Sixtus III. | 7 | 11 | — | 204 | 45 |
| 3 Sixtus IV. | 13 | — | 4 | 661 | 214 |
| 4 Sixtus V. | 5 | 4 | 14 | 367 | 229 |
| 1 Stephan. I. | 3 | 3 | 22 | 94 | 24 |
| Stephan. II. | — | — | 3 | 368 | 93 |
| Stephan. III. | 5 | — | 22 | 370 | 94 |
| Stephan. IV. | 3 | 5 | 28 | 380 | 96 |
| Stephan. V. | — | 7 | — | 417 | 99 |
| 2 Stephan. VI. | 6 | — | — | 71 | 112 |
| Stephan. VII. | 3 | — | — | 79 | 115 |
| Stephan. VIII. | 2 | 1 | 15 | 203 | 127 |
| Stephan. IX. | 3 | 4 | 5 | 109 | 130 |
| Stephan. X. | — | 7 | 29 | 293 | 154 |
| 1 Sylvester. | 21 | 11 | — | 146 | 34 |
| 2 Sylvester II. | 5 | — | — | 180 | 142 |
| 1 Symachus. | 15 | 7 | 27 | 232 | 52 |
| Thelesphorus. | 11 | 9 | 3 | 41 | 9 |
| Theodorus I. | 7 | 5 | 28 | 303 | 74 |
| 2 Theodor. II. | — | — | 20 | 79 | 117 |
| Valentinus | — | — | 40 | 4 | 102 |
| 1 Victor I. | 9 | 1 | 28 | 59 | 15 |
| 2 Victor II. | 2 | 3 | — | 285 | 153 |
| Victor III. | 1 | — | — | 404 | 158 |
| 1 Vigilius. | 15 | — | — | 254 | 60 |
| Vitalianus. | 12 | 4 | 28 | 317 | 67 |
| Vrbanus I. | 6 | 7 | 5 | 71 | 18 |
| 2 Vrbanus II. | 11 | 4 | 18 | 417 | 159 |
| Vrbanus III. | 1 | 10 | 23 | 662 | 172 |
| 3 Vrbanus IV. | 3 | 1 | 4 | 28 | 182 |
| Vrbanus V. | 7 | 2 | 1 | 303 | 200 |
| Vrbanus VI. | 10 | 6 | 7 | 346 | 202 |
| 4 Vrbanus VII. | — | — | 12 | 411 | 230 |
| Vrbanus VIII. | 20 | 11 | 23 | 538 | 237 |
| 1 Zaccharias I. | 10 | 3 | 15 | 356 | 92 |
| Zephyrinus. | 18 | — | 27 | 63 | 16 |
| Zosimus. | 1 | 4 | 7 | 292 | 42 |

# INDEX
# PSEVDOPONTIFICVM ROMANORVM.



*F I N I S.*

---

## OPERA IO: PALATII IAM TYPIS DATA.

Monarchia Occidentalis in octo volumina distributa, à Carolo M. usquè ad Leopoldum I. Et sunt:

Aquila inter Lilia —— Saxonica —— Sancta —— Franca Sveva —— Vaga —— Austriaca 3. —— Austriaca II.

Aquila Romana fol. real Italicè.

Apologia contra folium, &c. 12.

Armonia Contemplativa 16. cum figuris, & additionibus Editio. II.

Gesta Pontificum Romanorum à S. Petro usquè ad Innocentium XI. fol. cum figur. vol. 5.

Vita di S. Pietro 4. con figure Italicè.

Vita Principis Justiniani.

Vita delle Dame Venete.

Commentaria super Decretalium libros.

Commentaria super 4. Institutionum libros 4.

Caccie sotto nome di Raimondi.

Ornamenti di 120. Figure Istoriate in Tomaso Kempis dell'Imitazione di Giesù Christo.

Leo Maritimus, seu de Dominio Maris Adriatici.

De Luminaribus Mundi Pontifice, & Rege quod M.S. circumfertur.

Meditazioni sopra la Passione di Giesù Christo 24.

Metamorfosi d'Ovidio in Prosa con Allegorie figurate sotto nome di Francesco Bardi 8. Corre l'Ottava Impressione con Aggiunta.

Morale di Dante in compendio figurato.

CCXLIII

ALEXANDER VIII OTTOBONUS VENETUS PONTIFEX MAXIMUS





Creatus die VI Octobris
MDCLXXXIX

Digitized by Google

# ALEXANDER VIII

## PONTIFEX ROMANVS CCXLIII.

Gen. 11. NImrodus cum Titanis suis turrim erigens in terrà Senaar, quà Cœlum scanderet, ab vnà: ab alterà Pontifex cum Regibus Christianis, qui tyrannum calcat; symbolum est Fortitudinis, quæ ex Concordià Sacerdotij prouenit, & Imperij; quam in exordio Pontificatus sui professus est Alexander VIII.

*Natus Anno Salutis 1610. die 22. Aprilis. Pontifex eligitur die 6. Octobris 1689. Sedit in Pontificatu Annos ....*

## E L O G I V M.

A. S. 1689. Alexand. VIII. 1.

PLaudire Mortales
Vices Trinitatis gerit Otthobonus;
Qui gratiam inueniens corã oculis Domini,
Cathedram Petri restituit in Domũ Marci.
Ibi natum, vbi vel priuati nascuntur Reges,
Annos suprà quingentos muneribus publicis
In Proauis Veneta lactauit Respublica;
Et sine exemplo ex eius familià
Ter Magnũ assũpsit totius Reip. Cancellariũ.
Gentem nunc *Otthobonam* [1] habes:
Hanc si nescis, Venetam ignoras historiam.
Romã [2] veniens, secũ tulit Reip. patrimoniũ,
*Iustitiam*, & *Religionem*:
Quibus de suo Virtutem addidit.
Et Claues Cœlorum Filius Patriæ restituit
Quas hæc amiserat Annos supra ducentos.
Varijs primò Vrbib. [3] Iuri dicũdo prępositus,
More Veneto Maiestatem seruauit Romanã
Æquitate, & Annonà:
Exhibẽs vbiq. pręsẽtẽ Põtificẽ, supplẽs absẽtẽ
Rotæ [4] præpositus, etiam in Rotà stetit;
Quam decisionibus suis veluti clauo fixit.
Ne ab Otthobono etiam reuoluta declinet.
Episcopus,, Cardinalis, Legatus. [6]
Non Venetæ tantũ Reip. sed Dei se credidit:
Vtriusque cliens, vtriusque patronus
Veneta iura Diuinis protexit, Diuina Venetis;
Nemo Romanæ obseruantior Fidei,
Nemo Venetæ tenacior Libertatis,
Annis XXXV. egit rẽ Venetã, & Romanã:
Et solus, instar Senatus conciliauit utramq.
Quia sciret se ministrum Reipublicę & Dei.
Legatũ expetitũ à Gallis, Hispanis, Britannis
Negauere Pontifices
Quòd ex Bonis non ex *Otthobonis*,
Romæ aliquis superesset.
Quatuor Pontificum [7] creationi præsens,
Fouit semper partes Spiritus Sancti:
Nunquàm enim est suffragatus inanis.
Mortuo tandem Innocentio XI. [8]
Vox Populi, quæ vox Dei,
Petrum Petram acclamauit Ecclesiæ.
Duos fermè Menses protraxere Comitia
Vt voces Regum colligerent;
Quorum nemine discrepante,
Intercedente D. Magno Veneto ciue
In Domũ Marci descendit etiam Spiritus S.
In signum lætitiæ
Legati Prĩcipũ reposuere illicò *Limina* Petri.
Nec aliud sperandum
*Si Marcus cum suo Leone assurgeret ad tutelã Petri.*
*Alexander* [10] dici voluit.
Vt classicum caneret aduersùs Barbaros:
Et pacẽ imperaret exceptis Hęreticis, Infide-
*Hinc incipere deberent Pontifices omnes.* (lib.
Arma instruxit primò lacrymis, orationib.
Interdictis in patria ludis, atquè spectaculis,
Vt Religio præluderet triumphos.
Si M. Alexander Numinis arrogaturus nomẽ
Regna ferro subegit barbaro;
Alexãder nũc maximus Numinis vices gerẽs
Pietate frangeret barbara Regna.
Grata tamen Pro-Deo occurrit Patria
Legationibus [11] Dignitatibus,
Quæ perpetuò hæredi transmissæ Alexãdri
Pontificem venerentur etiam defunctum.
Pontificatus exordia,
Abundantia Panis, [12] & Pacis. [13]
*Sic solent Veneti præesse, & prodesse.*
Annonã in Populum, Iustitiã in omnes.
Futura dabunt vates, non Fortunam:
Si enim sibi Fortuna, & Sydera Reges
Super Fortunam Põtifex, quia super Reges.

## ADNOTAT. IN ALEX. VIII. R. P. CCXLIII.

Origo Familiæ Otthob.

1 G*Entem Otthobonam.* Ex historicis, qui *Otthobonæ* gentis originẽ sunt indagati, cæteris grauitate, & veritate præcellens I. Phil. Tomasinus *Elog. Vir. Illust. p. 284.* plura scripsit, *quorum Summa.*

*Gens Otthobona, nobilis & peruetusta est, & vltrà Alpes, oppidorum ac Vrbium dominio clara, domesticis, & publicis ornamentis pollens apud Italos floruit: in primis Patauij, Venetijs, & Florentiæ celebris. Turbolentissimis temporibus à contentionibus remota, Respublica Florentina nullo loco operam, & industriam negant: nec il-*

*lius procurandæ conseruationis, aut munus vnquàm intermisit, aut laborem subterfugit. Ita rebus publicis iuuandis ea semper propensu creuit, multosquè egregios atque insignes viros patriæ commodis natos tulit. Huius gloriam in primis Bonautus, & Aldobrandinus Otthobonus sustinent: quorum eximia virtus resquè gesta in annalibus sæpè deprædicantur. Aldobrandinus ob singularem in Rempublicam fidem Fabritij Togati cognomen meruit. Cui defuncto, Respublica decreto, in æde S. Reparata Ann. 1258. sumptuosis exequijs insigne monumentum fuit erectum. Sed nec vrbi Patauinæ innotu huius familiæ luus est: quæ præcipuè Venetijs inter ciues primo loco resplendens.*

Circa Annum Salutis 1200. cæpit ibidem inhabitare (vt clarè patet ex supplicatione Marci Otthoboni, Rogatorum, ac Supremo oblata Consilio, Anno 1646.) diuitijs clara semper, ac virtutibus fulgida, sine quibus non valuisset ære suo naues instruere; vt de Stephano, & Antonio in sæculo decimo quinto Venetijs testantur marmora in D. Antonij templo, vbi ara spectatur ex marmoribus claro penicillo Carphatici pictoris exornata Anno 1512. Sanctissimisque reliquijs aucta, vt ex inscriptione sequenti.

Io: Fran. Otthob.

*STEPHANO PATRI*
*Antonio Auo*
*Hector Otthobonus*
*Monumentum P.*
*Hic Euboic. Portum ab hoste occupatum, trepidante classe*
*Naue suâ solus ingressus est MCCCCLXX.*
*Ille prælio Nauali ad Coryphasium expugnatâ*
*Turcarum maximâ naui, igne concepto comburitur.*
*1490.*
*Patriæ vterque natus non sibi.*

Altera Inscriptio.

*Martyrumque X. Millibus*
*Hector Otthobonus Aram cum flamine.*
*Franciscus Otthobon. patruus Templi Antistes vouit in pestilentiâ.*
*Antonius Contarenus ex Canonico loci Pontifex Venetus ligno Crucis, & ipsorum Martyrum creditis Reliquijs sacrauit.*
*M. D. XII.*

Io. Fr. Otthob.

Viris militaribus accessere Togati; inter quos *Ioan. Franciscus* linguarum peritiâ, & eloquentiâ celebris, Hebraicam, Græcam, & Latinam eâ sedulitate hausit, vt ijs ad arbitrium dicendo, & scribendo vteretur. A pluribus expetitus Accademijs, Venetâ contentus (ex quâ prodiere Bembus, Nauagerius, Lippomanus, Cardinales Contarenus, & Commendonus) amicos habuit viros clarissimos Guidiccionum, Annibalem Carum, Franciscum Turrianum, Bernardum Tassum, Fracastoreum, quorum crebris literis de rebus præcipuè ad linguas attinentibus interpellabatur; quæ adhuc apud posteros asseruantur in scrinijs. Publicis negotijs admotus, eo studio ac fide gratiam Reipublicæ meruit Serenissimæ, vt raro omnis æui exemplo, defuncto Laurentio Roccâ Anno 1559. cum vix Annum excessisset tertium, & quadragesimum dignitatem adeptus Magni Cancellarij, eum ornamentis Procuratorijs, per Annos decem, & octo summo honore, non sinè valetudinis detrimento sustinuit. Indè ad gloriâ euocatus æternam, Maiorum in monumentũ illatus Anno 1575. sequens habuit Epitaphium.

*Io. Francisco Otthobono*
*Spectata Sapientia Viro*
*Magno Venetiarum Cancellario*
*De Patriâ, de Republicâ Optimè merito.*
*Admirandu Fidei, Virtutis, Animi*
*Nunquàm intermorituro exemplo.*

Leonar. Otthob.

Alter Otthobonę Gentis vir Maximus se nobis sistit *Leonardus Otthobonus*, qui *Iacobo* magno parente genitus, Philosophicis adductus studijs, ac Linguarum peritiæ, Theologiæ postea operam nauauit, quâ dum alios suæ ætatis ciues excelleret, Oratoribus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ ad Concilium Tridentinum iunctus, eâ diligentiâ omnes Concilij actiones, varias Patrum controuersias, suâ manu in Diarium redegit, vt ex ijs summa scribentis intelligentia, ac in rebus Fidei summa pietas, & optima opinio facilè perspiciatur. In Germania posteà arcanis negotijs à Republicâ præpositus eo elogio meruit à Carolo V. decorari, vt Cognomen *Otthoboni* diceret Imperator non minùs dotibus aptari ministri, quàm Reipublicæ vtilitati. In Lusitaniâ labores non impendit minores. Philippo II. Hispaniarum Regi tam gratus, vt nihil expeteret, quod non obtineret. Ibi cum diutiùs moram traheret, non solùm eius regionis prouincias, & vrbes perlustrauit, sed quidquid memoriâ dignum, è monumentis, & inscriptionibus in vnum volumen congessit; quod apud posteros summâ religione asseruatur. In patriam reuersus ad otium literarium, vrgente iterum Reipublicæ causâ, ad Ducem Ferrariæ ablegatus natam composuit de limitibus controuersiam. Intereà ob raram fidem absens à secretis Decem Virum eligitur; quod munus annos viginti eâ laude absoluit, vt defuncto Magno Reipublicæ Cancellario Bonifacio Anselmio Anno 1610. cum ornamentis Procuratorijs subrogatus fuerit: etiam in extremâ senectute octogenarius primus semper in Senatu comparuit, postremus discessit, sermone inculcans quotidiano: *Bonos ciues laboribus publicis non fatigari.* Anno mortuus 1630. cum Patauij, Omnium Sanctorum Monasterium erigendum curasset, magnifico funere ad D. Antonij ædē delatus sub statuâ ex candido marmore inscriptione honoratur sequenti.

*Leonardu Otthobono*
*Pietate insigni, facilitate amabili*
*In Patriam fide spectatu*
*Longâ maioris Cancellarij præfecturâ*
*Cunctis Patribus Boni ciuis egregiè functo,*
*Senioque veriùs quàm morbo confecto.*

Marcu Otthob.

Tertius Ottobonæ Gentis (quod sine exemplo) Venetę Reipublicæ Magnus Cancellarius, & S.C. Eques est *Marcus*, qui Annos sexaginta indefesso labore, summaquè integritate fidem probauit, ter decies muneribus publicis, domi forisquè apud potentissimos totius Europæ Principes summâ cum laude perfunctus. Ad Pontificem quinquies, ad Imperatorem, ad Portam Turcarum, ad Ducem Bauariæ, Neapolim, Magnum Hetruriæ Ducem, Ducem Mantuæ, à Secretis in vallatione Palmæ, & Maritimi Imperatoris classe; ad Dansticum Prussiæ prò re frumentariâ, ad Regem Angliæ, habuit Græciam, Byzantium, Germaniam Galliam, Britanniam, Poloniam, Hispaniam, Vrbiumquè Caput Romam, suæ testimonia virtutis. Eius eloquentiâ victus Cæsar Estensis Dux Ferrariæ, positis armis Vrbem cessit Pontifici: Gliscentem iterum Anno 1606. & 1607. inter Pontificem, & Venetos controuersiam, ex Patrum decreto cum Cardinali Gioyeusâ, cæterisquè Principum Oratoribus plaudente Senatu, diligenter composuit. Tot, tantosque labores excepit dignus honor. Assumptus à secretis Decemuirum, eâ laude sustinuit, vt defuncto Magno Reipublicæ Cancellario Ioan. Bapt. Patauino, Anno 1639. in hanc sublimen sedem euectus fuerit, & Eques dictus, postea inter Patritios cooptatus.

Eius venerabilem effigiem non solùm hic ære incisam habes, sed in aula, vbi publica parantur conuiuia. Eius cineres nobili donauit sepulchro filius Cardinalis, nunc Papa Alex. VIII.

D. O. M.

Hieronymo Otthobono Fr.
Marcus Otthobonus
Eques patritius Venetus posuit
Anno 1590.

Petrus Tit. S. Saluator. in Lauro S. R. E.
Presb. Card. Otthobon. Marci Filius
Ep. Brixiensis.
Restituit sibique & posteris præparauit.
Anno Salutis 1655.

2. *Romam*. Coronam gloriæ imposuit, *Petrus Vitus* eiusdem Marci Otthoboni, Equitis S. Marci. Veneti Patritij & Victoriæ Torniello filius matronæ Clarissimi sanguinis inter Venetos. Annos antè tercentos publico munere, & rei familiaris fortunâ culti; masculinâ prole *Marcus* susceptâ *M Antonium* filiũ ab Actis missũ vidit ad Ducem Sabaudiæ, Hispaniæ Regem, ad Anglos, Turcico tandem immixtum bello inter naufragia atque tormenta non minùs fortem, quàm fœlicem, Tres alios filios, *Ioan. Bapt. Petrum & Augustinum* qui præmaturè defunctus *Antonium Patricium Venetũ*, Equitem, perpetuum, ac D Marci Procuratorẽ *Romanum Principem*, ex *Candida Benciâ*, (Familia hæc ob Generis Antiquitatem, Diuitias, Munera publica nobilissima) & ex *Paulinâ Bernardâ q. Zaccariæ* patritijs sanguinis, Marcum Abbatem reliquit; qui ingenij cultu, & eruditionis studio, virtutes æmulatur auitas. Bergomi ille Castellanus, Cremæ, prius Feltriæ Prætor, ac Præfectus, vtrobiquè iustitiæ cultor, Prætor, & Pater præfuit.& profuit abundantiâ Annonæ, quam suo ære.& charitate contra sæuientem caritatem procurauit. Orator, & Poeta, Dodoneæ Accademiæ Princeps, Princeps tandem in S. R. E. Solio adstat Romano.

Conscendimus tandem gloriæ fastigium, *PETRUM VITUM* Marci Ottoboni, & *Victoria Torniello* q. Viti vxoris filium. Anno natum 1610 non 1620. vt legitur Al. VIII. natalia.







202







in Additionibus ad Ciaconium. Irrefragabile namq; testimonium est monumentum Parochialis Ecclesiæ S. Seueri Venetiarum, vbi baptizatus legitur die XXII. Aprilis 1610. nullâ aliâ die adscriptâ natiuitatis, vnde duos Annos ei præmaturè adijciunt. Genitorum curâ pietatem primò, & Religionem imbuit auitam

inde

indè Musas colens honestas, Philosophicis disciplinis excelluit, quarum lauream assequutus Patauij, Anno 1627. sub præceptoribus Liceto, & Bartholomæo Vecchio Senensi; Iuris prudentiæ postea animum intendens. *Romam* occultâ fatorum serie vocatus venit Anno ætatis vigesimo Salutis 1630. vt vsum curiæ Romanæ à Ioann. Bapt. Coccino Veneto edoceretur; accedenteque morum integritate, eam sibi peperit sciētiæ, ac probitatis famam, vt Abbas primùm ab Vrbano VIII. deinde vtriusquè Signaturæ Referendarius plures vrbes Ditionis rexerit Ecclesiasticæ.

Munera ubi ita. 3. *Vrbibus*. Anno 1638. Interamniæ Præfuit Anno 1640 Reate Dominator 1641. Fidenæ Vrbis Moderator electus, Spoletanos, & finitimos populos de confinibus dissidentes composuit, eodemque tempore ad Altini Noui dignitatem assumptus Episcopalem eà fide, atque innocentiâ omnia hæc munera gessit, vt conciliato sibi Vrbano VIII. Rom. Pontifice. Georgio Cornelio in Patauinum Episcopum electo, Anno 1642. ipsius Vrbani beneficio, Veneti Senatus nominatimne adscribi

Auditor Rotæ. 4. *Rotæ* Iudicibus meruerit. In hoc excelso Tribunali veluti in specula, *Otthoboni* enituit iustitia ad omnes, Iuris vtriusque peritia in arduis controuersijs, quæ decidendæ dietim occurrunt ex vltimis Terrarum finibus; probauitquè iudicia sua Lydio lapide, typis scilicet datis in eruditionem posteritatis. Ex Rotæ Auditore Anno 1650

Tantos labores nè præteriret immeritos Pontifex Innocentius X. Anno 1652.

Cardin. 5. *Cardin.* Cardinalem creauit. Anno 1654. Brixiæ dixit Episcopum; quem tamen Episcoparum Bartholomæo Gradonico resignauit factus Abbas Commendatarius Vangadiciensis, & titulum S. Saluatoris commutauit in titulum S. Marci, ab Alexand VII. non permissus ab Vrbe discedere, vbi ad publicum Orbis Christiani commodum, nullum absoluebatur negotium *Otthobono* inconsulto.

Legatus Venetus. 6. *Legatus*. Dissidentibus sępè prò iurisdictione Quartierij, & ab aulâ secedentibus Oratoribus Regum, legationē Cardinalis Otthobonus impleuit Reipublicæ, eà fide, & religione vt Ecclesiam Romanam obseruaret vt matrem. Venetam Remp. vt filiam Romanę procuraret Ecclesiæ. Illius iura, huius priuilegia semper concordans, seruiebat vtrique, dum seruiebat vni, & quidquid addebat Venetis; non negabat Romanis, sciens quid Veneti debeant Ecclesiæ, quid Ecclesia Venetis. Ab Oratoribus Reipublicæ nunquàm discors, præcipuè à *Ioan. Lando* Veneto patritio, qui sine exemplo Annos natus 46. ex secundo Sapientum Ordine Romam missus, vt inter dissidia Regum prò vsu Quartierij, Veneti Oratoris loco Rempublicam gereret, per sex Annos charus Pontifici, gratus Dominio, Orator tandem Extraordinarius vnà cum sex Equitibus, & Procuratoribus Sancti Marci, & altero Equite Sebastiano Foscareno delectus fuit.

Congregationes omitto; quia vbi Otthobonus, ibi Congregatio erat: Inter patres adscriptus Congreg. Episcoporum, & Regularium; inter S. Concilij Interpretes, adfuit Episcoporum examini; Signaturæ Gratiæ; Conuentibus, Indicis, Consistorialis, Visitationis Apostolicæ; Indulgentiarum, & Reliquiarum; Pestis depellendæ, aliisque pluribus: vt nulla esset Romæ Congregatio, quam Otthobonus non moderaretur. Primus si loqueretur, dirigeret; si postremus reuocaret. Ea cæterorum attentio, nè ab vno Otthobono dissentirent.

Congregationibus adscriptus.

7. *Quatuor Pontificum* creationi interfuit, & nunquam suffragatus inanis. Sanctissimum *Clementem IX.* suis promouit suffragijs; à quo Libellis Dandis præfectus, vulgò *Datarius*, semper cum laude, merita, & virtutes præhabuit ambientium.

In Papā eligitur. 8. *Mortuo* tandem Innocentio Vndecimo, die duodecima Augusti 1689. post interregnum vnius mensis, & dierum viginti quinque, Cardinalium omnium consensu, qui duo supra quinquaginta conuenerant, Pontifex adoratur, die 6. Octobris, *D. Magno* Veneto ciui sacra, nomine assumpto

Alexander dictus. 9. *Alexandri Octaui*, ob memoriam Alex. III. tàm charam Reipublicæ. & vt nomen renouaret Alex. VII. cuius animi dotes sincerâ mente exaltabat: remquè gratam rependeret Cardinali *Chisio* nepoti Alexandri VII. qui super omnes causam promouerat Otthoboni. Venienti citò eum adoraturo Ioan. Lando, & lacrymis præ lætitiâ eloquutione intercisâ, Pontifex ipse aspecto compatritio (qui eius electionem non minùs prudenter, quàm religiosè procurauerat) aliquid passus humani planctus, illicò ad se reuersus dixit. *Vsquè modò Cardinalis Otthobonus D. Landum suscepit. Pontifex nunc* (sereno vultu, & maiestate Pontificis) Renuntiate Reipublicæ electionem nostram cum gratiarum actione, quarum testimonium scripto damus nostris manibus exarato. In eo post salutem, & Apostolicam benedictionem, Dominium, Ducem, Senatum certiores faciebat exaltationis suæ ad illā dignitatem, quæ vires excedit humanas, & Angelis ipsis est pertimenda; quamuis in obsequium voluntatis supernæ, humilis humeros subiecisset Diuinæ Misericordiæ.

Scribit Venetis. Literis suâ manu exaratis conscium voluisse Excellentissimum Senatum omnium, quæ die 6. Octob. nocte adueniente, gesta fuerant consentientibus omnibus Cardinalibus sacri Collegij, nemine discrepante, cæterorumque omnium publicâ lætitiâ, ipso tantùm excepto Alexandro, onere perterrito ministerij, & temporum calamitate, quę igne ferro, sęuiebat. Venetos Cardinales Delphinū ambos Barbadicos, & Colloredū laudabat; quia solo Nationis decore prę oculis habito, eorumque innatâ bonitate, non Electi meritis, omnem mouissent lapidem, vt eum ad Celsissimum gradum promouerent non sperantem, nec cogitantem. Laudabat etiam *V. N. Io. Landum*, dignissimum dicens inuictę Reipublicę ministrum, ob constantiam, quam iste in eius promotione seruauit, & existimationem, quam raris virtutibus suis apud omnes aulicos sibi acquisiuit; cuius obligationis monimentum ergà Rempublicam Patriam suam, & ergà illum pręsens exarauerat testimonium. Securâ interim Respublica; quod nullus Pontificum pręteritus vel futurus in Sede Petri ei par promoturus esset vota, & fęlicitatem suæ Dilectissimæ Patriæ, vt qualicumque oblatâ occasione, operibus suis magnoperè comprobaturus erat: Gratiarum semper memor, quibus eum, eiusque Proauos generosè erat prosequuta Respublica. Senatum cum omnibus Senatoribus suis dulci, & paternâ tandem benedictione complectens, intimo Cordis benedicebat affectu, rogando Diuinam Clementiam, vt aduersùs Infideles Rempublicam victoriis insignibus cumulet vnà cum omni terrenâ, & cœlesti prosperitate. Hæc ad Venetos

Electionis suæ Cæsarem etiam, Reges literis suâ manu exaratis certiores cum fecisset, oretenùs adiecit Lando Veneto ministro; Arma instruerent; supputationem meditarētur eorum, quæ prò apparatu bellico forent Reipublicæ necessaria. Se interim designare Nuntium Apostolicum Reipublicæ non ingratum; cum Decimarum Indulto. Vtrumque negauerat prædecessor Innoc. XI. Imo paucos post dies Nuntiū cum designasset priusquàm mitteret, interrogauit; an designato arrideret Senatus? Mos, qui solummodò ergà Reges obseruatur. Quatuor etiam millia militum conscripta ære Ecclesiastico vsquè ad littora, vbi nauē conscenderent, obtulit Reipublicæ, vt Euboicæ Insulæ expugnationem repeterent, sinè qua instabile suspicabatur in Peloponesso Christianorum Imperium. Libertatem propterea Venetis indulgebat canendi classicum in ditione vniuersâ Pontificis; sanguinem ipsum oblaturus, si huius effusione insula redimi posset, quæ staret in Barbaros propugnaculum Christianorum.

Hæc cum peruenissent ad aures Excellentiss. Senatus

magna

magnâ deuotione, & lacrymis præ lætitia susceptam, ad Apostolicã benedictionem aperto capite assurexere Patres, excitarunt Senatum, Legationem primò exornare honorificam, octo Oratoribus instructam, qui omnes Primates Reipublicæ, legationibus alijs, vel muneribus publicis exornati Venetam seruarent Maiestatem. Fuere *Antonius Grimanus*, *Angelus Maurocenus*, *Siluester Valerius* Equites omnes, ac Diui Marci Procuratores. *Federicus Marcellus* D.Marci P. *Sebastianus Foscarenus* Eques, *Ioannes Landus*, qui Annos sex Romæ magno Principum plausu degebat.

Legatio Venetorum.

Per tres dies, 9. 10. 11. Octobris in areâ D. Marci ex publico decreto Procurator Capserius S. Marci curauit, ignes noctu excitari festiuos, totaquè in Vrbe, Ecclesiarum Plebani, & Superiores Regularium Turres tintinabularias illustrauère lampadibus. *Antonium* Nepotem Pontificis domi suæ stantem Patritij conuenere gratulabundi. Ipsi adfuere Oratores Principum. Tertio festinitatis die, Octobris vndecimo, in testimonium filialis reuerentiæ ergà Pontificem, Senatus Rogatorum, vltrà legationem supradictam, decreuit.

Ignes festiui.

Vt *Antonius Otthobonus* Venetus Patritius, olim Cremæ Præfectus, nepos Pontificis, eiusque Primogeniti in infinitum descendentes, Equites dicerentur, ipse autem etiam D. Marci Procurator. Duodecima Octobris descendit Collegium cum Senatu per portã maiorem in Templum, vbi prò Gratiarum actione, Musicorum chorus cum tibijs, & fistulis absquè tubis, & tympanis more Ecclesiastico, canticum cecinere *Te Deum laudamus*. Decimâ tertiâ Mensis post prandium descendit ProPrinceps cum Senatu (Princeps Maurocenus castra curabat) in Ecclesiam S. Marci, adstantibus etiam Procuratoribus S. Marci, vbi instructâ publicâ supplicatione ex Clero Sæculari, & Regulari; Confraternitates præcessere virorum (quas *Scholas* vocamus) pompâ celebri, & insuetâ. Regulares omnes (etiam Cappuccini) venere magnâ ex parte cum pluuialibus & planetis, inter funalia deferentes Sanctorum Reliquias; reliqui cum candelis, & cereis accensis. Cum peruenissent iuxtà aram maximam, cantor eorum intonuit, *Te Deum laudamus*. Soli Somaschæ; Tolentini, Carmelitæ Discalceati, Iesuitæ pertransierunt absquè cantu. Iesuitæ sacra Martyrum lispana deferenda tradidere Sacerdotibus Sæcularibus. Cappuccini nullas tulere Reliquias, sed omnes adfuere cum candelis. Clerus Sæcularis ex nouem Congregationibus Vrbis cum candelis accensis. Eodem modo, sacrisque vestibus indutum adfuit Capitulum Canonicorum Patriarchalium. Quibus peractis, Vicarius Canonicus Ducalis, qui in choro aderat cum Clero Ducali, ad gradus Aræ Maximæ, in quâ exposita erat Imago Virginis Deiparæ, Litanias intonuit, & ter adoleuit incensum. Musici, qui præibant, cum peruenissent ad versiculum *Sancta Maria*; Imaginem eleuatam Deiparæ, Clero prosequente Ducali, cum superpelliceo, absque pluuiali, Canonicis ipsis cum almutio absquè pluuiali; ProPrinceps comitante magnâ Senatorum frequentiâ religiosam, & nobilissimam clausit supplicationem; exeuntes ab areâ interiori Ducalis Palatij in exteriores plateas (quas picturis, & Phrigijs ornauere tapetibus, appensis encarpis inter fornices columnarum, quæ Palatium Ducale, & Procuratias ab vtroque platearum latere fulciunt; milleque cereis ad fenestras appositis illustrauerant) per portam Sancti Alipij, in Ecclesiam rediere Ducalem. Vsque in tertiam noctis, vltrà lampades, quæ pendebant ex Turri, mille arsere funalia; Simphoniâ etiam dispositâ fistularum, tibiarum, barbitorum, lyrarum, quæ vsquè in tertiam noctis, totam spectantem vrbem (supra namquè octuaginta millia hominum conuenisse credimus) recreauit. Quæ omnia ex publico decreto, publicoquè ære peracta, & nulli priuatorum datum aliquid addere in plateâ D. Marci. Populus, Ciues, Clerus in suis Parochijs, & plateis ciuitatis, tribus diebus ignes excitauere festiuos, & sono campanarum, per dies octo, signa gaudij manifestarunt.

Honores collati Genti Otthobonæ.

Die Veneris XIV. Octobris decretum Senatus (vt de more) lectum in comitijs Supremi Consilij, Dominicâ subsequenti, adprobauere Patres; Die Sabbathi, Octobris 22. *Antonius Otthobonus* Eques perpetuus, & Procurator S.Marci, purpurâ indutus, Stolaque aureâ, cimbâ vectus ædes appulit Germanorum, pompâ nobili exornatas, indè per plateas transiens S.Bartholomæi, ac SS.Saluatoris (cuius in Basilica sacrum audijt) quas in speciem clauserant theatri, aulæis adornauerant, & Mercatorum vicum mercibus exornatum pretiosis, Procuratoribus S. Marci subsequentibus pluribus, Patribus tercentis, & septuaginta veniens in forum D. Marci, ascendit in aulam, vbi pleno Collegio officiosissima gratiarum actione solutâ, cum oblatione sui Sanguinis, & Familiæ ad gloriam Reipublicæ, in Procuratiam descendit *de suprà* dictam, captaque possessione dignitatis, officio absoluto singulis patritijs, qui eum fuerant comitati, abijt; donec repetitis vicibus, Rogatorum Senatu receptus, Romam adijt.

9. *Limina Petri*. Vulgata electione *ALEXANDRI VIII.* Quieuit controuersia de iure Quartierij. Ducatum Aucnionensem, quem Galli occupauerant viuente Innocentio XI. R. P. restituere; vt fusius dabimus in vitâ *Alexandri VIII.* Hæc enim raptim collegimus.

10. *Interdictis in patria ludis*. Lætitiam cum præuidisset Alexander conciuium Venetorum ob exaltationem suam, rogauit ignibus cessare festiuis, atque triumphis, & in Deum conuertere vota pro Ecclesiæ exaltatione, Infidelium ruina, Christianorum pace. Hinc Quinquaginta Equites nobiles, totidemque ephebos delectos à Senatu Romano, vt in die Coronationis, Pontifici præirent ad pompam, liberauit.

11. *Abundantia panis*, quæ vt prima populi petitio est, cum Regem & Deum salutat, *da nobis panem*. Ita Veneti Rectoris prima sollicitudo, vt populo annona exuberet. Hinc Pontifex more patrio, interprete *PETRO OTTHOBONO* nepote suo, quem ob indolem excelsæ virtutis, quam ei non tam natura, quàm patrui sollicita conciliauit educatio, Cardinalem creauit, inquisitione Pontificatum exorsus in eos, qui annonam fraudabant, solerti prouidentiâ mãdauit in horreis tritici viginti mille modios recondi, data omnibus licentiâ segetem distribuendi, portione exceptâ frumenti, quâ annuatim renouaretur depositum ad publicam alimoniam. Diminuit etiam gabellam tritici ciuibus Romanis impositam, Iulium scilicet in singulos frumenti modios, qui molirentur. Sic etiam gabellam carnis, quam soluere tenebantur omnes in agro Romano, & ciuitatibus subditis, duos scilicet quatrinos sustulit pro qualibet librâ carnis.

Annona procurat.

12. *Pacis* non minus, quàm panis *ALEXANDER* sollicitus iustitiâ ministrâ, eam primò domi quæsiuit, mandans plurimis odio posito, se se illicò reconciliari, ac ciuilia ponere dissidia; Artificibus, ciuibus interdixit insignia Regum, ipsiusque Pontificis exponere in superliminaribus domorum, nè sub vmbrâ picti Principis, libido grassaretur in carne, & delicta exultarent impunita. Plurima cum decreuisset ad bonum publicum, & solatium populi; sciscitanti Vrbis Gubernatori, an milites exautorandi, atque castris honestè mittendi, qui supra quatuor millia stabant sub signis, vt graui onere leuaretur erarium? respondit: *Principum honori esse, non oneri phalanges militum: Birrones potiùs remitteret, & satellites, qui superabundabant Romæ. Rediret ciuitas in ciuitatem, & ad seipsam Roma, maiestate, ac libertate seruatâ vetustâ.*

Pacem procurat.

Legiones istas iam in Turcas Venetis, animo destinauerat, vt suprà annuimus, ordine nobis incerto. In hac enim sciagraphia aliquid si minus certum oc-

Auxilia in Turcas.

curreris; Lector indulgeat, meliora expectans tempore opportuno. Prædia insuper Abbatiæ *Sanctæ Mariæ de Carceribus*, Monacorum Camaldulensium in agro Estensi Venetæ dictionis, motu proprio laicis sub hastà exponi decreuit, refuso pretio ad militum stipendia aduersùs Turcas, remissis Monacis in alia cœnobia eiusdem instituti, vt sanctiùs viuerent, & ad disciplinam redirent antiquam. Obtulit etiam sexcentos cados nitrati pulueris: Triremes instrui iussit Melitensium, excitauit Hetruscas, Lygures; triremibus suis Generali imposito Principe *MARCO* nepote suo, quem grata Patria insignibus donauit equestribus. Fidos postea vt sibi vitæ custodes, ac certos populorum, Principumque interpretes, validos onerum, curarumque consortes, suique arcani fideles ministros adscriberet, nepotes vocauit in partem sollicitudinis, exemplo non solùm prædecessorum plurium R. P. sed ipsius Christi, qui plures cognatos inter Apostolos cooptauit. Amicos enim vel ignotos varijs fortunæ casibus transfert, vel auocat. Famam Principis cum quasi alienam negligent, palpant potiùs, quàm procurant. *ANTONIVM* ergò nepotem ex fratre, Generalem creauit S.R.E. Eius filium *PETRVM*, Cardinalem S. Laurentij in Damaso, Cancellarium S. R. E. & Legatum Auenionem. A secretis adsciuit *Io. Baptistam Rubini* Episcopum Vicentinum, virum iam Curiæ assuetum Romanæ, Principibusque gratissimum. Cælum nobis vt reconciliaret; supplicationem toto in Orbe haberi iussit pro expiatione peccatorum, virtute Iubilæi, quod verè pœnitentibus exhibuit de Ecclesiæ thesauro, vt more prisco Christiani classicum canerent tubis Sacerdotalibus, harumque clangore excitum Genus humanum pacem restitueret. Hinc Gallorum Regi Abbatiam concessit S. Dionisij, in subsidium Hospitalis *Filiarum* appellati, iam ab Innocentio XI. indultam, posteà suspensam. Tercenta nummorum millia Iacobo Regi Britaniæ, Fidei Catholicæ Defensori designauit. Cardinalem *Marcum Antonium Barbadicum* Venetæ reconciliauit Reipublicæ. Plura alia disposuit ad pacem Christianorum, quæ ego Deo dante colligam, & collecta vulgabo; præcipuè quæ in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis pro *hæresum* extirpatione non minùs doctè, quàm prudenter egit, cum Cardinalis esset pro Fidei puritate, & tutela Euangelij.



Alia gesta Alex. VIII.